MASTER NEGATIVE NO. 91-80130-4

AUTHOR:

HEEREN, ARNOLDUS

TITLE:

DE CHOROGRAPHIA A VALERIO FLACCO...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1899

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87V23
DH Heeren, Arnold, 1876-
De chorographia a Valerio Flacco adhibita; dissertatio inavgvralis quam... scripsit Arnoldvs Heeren... Gottingae, Typis expressit Officina Dieterichiana, 1899.
90 p. 22 cm.

Thesis, Göttingen, 1899.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/9/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)

150mm

6″

Heeren

De chorographia a Valerio
Flacco adhibita.

DE CHOROGRAPHIA A VALERIO FLACCO ADHIBITA.

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

ARNOLDVS HEEREN
GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE,
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.
MDCCCIC.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit Fr. Leo.

Examen rigorosum habitum est a. d. XII. kal. Aug. a. IC.

Sigismundo Paulo

Pietatis ergo.

1*

In Apollonii Rhodii Argonauticis III 351 ss. Phrixi filius Argus Aeetem his verbis Jasoni conciliare studet: οὐ γὰρ ἱκάνει χερσὶ βιησόμενος μέμονεν δέ τοι ἄξια τείσειν δωτίνης, ἀίων ἐμέθεν μέγα δυσμενέοντας Σαυρομάτας, τοὺς σοῖσιν ὑπὸ σκήπτροισι δαμάσσει. Hac re apud Apollonium non effecta Valerius utitur ut ingens nobis bellum Homerico scribendi genere depingat: Aeetae fratrem Persen[1]) cum ingenti exercitu barbarorum illum aggredientem sed Argonautarum auxilio victum. Priusquam autem utrique in proelium descendant poeta Homerum et Vergilium sectans non facere potest ut catalogum pugnantium non praemittat: inserit igitur Valerius carmini suo amplum indicem gentium barbaricarum, quem e chorographia quadam haustum esse nemo non videt re paulo diligentius inspecta: multo minor pars nominum ita comparata est ut aut notissima aut ex antiquioribus poetis translata videantur; longe plurima nomina omnesque fere res geographicae (omissis eis quae Apollonio debentur) nisi chorographiis collatis non explicantur, cum apud poetas nihil de eis invenias. Accedunt etiam

---

1) Fabula de dissensione inter Aeetam et Persen orta non a Valerio primo narratur, cf. Meier, quaestiones Argonauticae p. 44. Ribbeck, die römische Tragödie p. 318 ss. Stirpem fratrum Dionysius Milesius fr. 4 (= schol. Ap. Rh. III. 200) ita exponit: Ἡλίου γάρ φησιν υἱοὺς γενέσθαι δύο ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις· οἷς ὀνόματα ἦν Περσεὺς καὶ Αἰήτης· τούτους δὲ κατασχεῖν τὴν χώραν. καὶ Αἰήτην μὲν Κόλχους καὶ Μαιώτας, Περσέα δὲ τῆς Ταυρικῆς βασιλεῦσαι. καὶ τὸν Πέρση πρεσβύτερον ὄντα γῆμαι τῶν ἐγχωρίων τινά, καὶ γενέσθαι αὐτῷ θυγατέρα, ᾗ ὄνομα ἦν Ἑκάτη. cf. Diod. IV 45. De odio fratrum multa ferebantur, quorum vestigia habemus Apollod. I, 9,28 et Pacuvii Medeam ap. Hyg. fab. 27; tamen nusquam inveni narratum eos acie dimicasse. Quam rem optime et invenisse et instituisse Valerio laudi ducendum est, cf. Schwartz, de Dionysio Scythobrachione p. 36.

aliae res; nam catalogi causa libro geographico usus per totum opus res geographicas inde sumptas carmini admiscet: qua re efficitur, ut illius auctoris fragmenta ex toto carmine conligenda sint. Quaestio de auctore non indigna est quae tractetur, cum istam chorographiam egregiam esse appareat, et nonnullae res et nomina gentium ab uno Valerio nobis tradantur. In hac re editores parum profecerunt. Langenus, cui recentissima editio debetur, in commentario animum ad res geographicas quoque intendit; de universo autem catalogo non quaesivit locosque ex aliis scriptoribus desumptos quos adnotat non ex omnibus qui comparandi sunt elegit sed paucos prout fors ei obtulit commentario inseruit; de chorographiae indole et auctore nihil, de singulis rebus parum fida inde discimus. Muellenhoffius, qui primus chorographias veterum ita perquisivit ut de iis recte iudicare possimus, in antiquitatum Germanicarum vol. III de chorographia quoque a Valerio usurpata quaestionem perstringens e Sallusti Situ Ponti eius originem repetebat. Quaestio a tali viro consummata impugnari nequit, nisi toto carmine quatenus ad chorographiam pertinet pertractato. Minime mirum est nonnulla eum fugisse, cum non ea quaestio ei proposita fuerit, ut totum Valerium accurate perquireret. Data opera Peters in dissertatione sua *de C. Valerii Flacci vita et carmine* scripta (Regimonti 1890) inde a p. 60 de Valeri studiis geographicis egit; is autem argumentationis speciem proponens persuadere non potest Agrippae chorographiam Valerio subesse. Ego de integro rem universam tractaturus omnes fere Romanorum et Graecorum scriptores perquisivi neque titulos neglexi, ut integra materia usus ad rem accederem. In primis quaerendum est cui tempori adscribenda sit chorographia quasque terras complexa sit. Valerium catalogum suum iam a poeta comparatum invenisse minime veri simile est. Cogitares de Varrone Atacino; Varro enim et Argonautas scripsit et Chorographiam versibus hexametris confecit. In promptu est cogitare Varronem ut poetam doctum et in geographicis occupatum catalogum huius modi in Argonautas suos recepisse, Valerium hunc catalogum vel integrum vel deminutum vel ex Chorographia illa auctum in suum carmen transtulisse. Quae tamen coniectura compluribus de causis reicienda est; et sole clarius est Vergilii catalogum exemplum Valerio praebuisse, et quae de aetate auctoris ex Valerio

conligere possumus nos docent catalogum multo post Atacinum conditum esse; praeterea quae de Atacini Argonautis intellegimus minime favent opinioni Varronem fuisse qui talem narrationem interiecerit: nam artissime Apollonii vestigia pressisse videtur. Prob. Verg. Ge. II 126 *Varro qui quattuor libros de Argonautis edidit.* Quintil. X 1,87 *Atacinus Varro in iis per quae nomen est adsecutus interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Fragmenta exigua, quae omnia ad certos Apollonii locos referri possunt, nihil de ea re continent; quod secus esset in Valeri fragmentis casu servatis.

Silentio non praetereundum esse putavi catalogum Valerii exemplar fuisse Apollinari Sidonio [1]) in carmine V. Sidonio opus est catalogo multas gentes continente, ut Maioriani principis adversus Vandalos apparatus laudibus dignis extollat; incidit in Valerium quamquam is in catalogo ne unam quidem gentem profert pertinentem ad imperium Maioriani. Non mirum est Sidonium catalogo illi obsoleto gentes quasdam admiscuisse quae ad Maioriani aetatem pertinent.

Sid. 114 *classica presserunt Hypanim, Peucenque rigentem* = Val. IV 719 aut VI 147. VIII 217.

Sid. 466 *Lagea stirps* = Val VI 188 *Lagea novalia Thebes.*

Sid. 471 *rigidum septemplicis Histri agmen* = Val. IV 718 *num septemgemini memorem quas exitus Histri.*

Sid. 472 *nam quidquid languidus axis cardine Sithonio sub Parrhase parturit ursa* = Val. VI 39 *quod geminas arctos, magnumque quod impleat anguem.*

Sid. 424 ss. *Bastarna* Suebus Pannonius, *Neurus,* Chunus, *Geta,* Dacus, *Halanus Bellonotus,* Rugus, Burgundio, Vesus, Alites *Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus* ex toto Valerii catalogo collecti sunt. Altero loco, VII 321 ss., Valerium breviter imitatus est:

pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux sequitur; Scirum Burgundio cogit;
Chunus, Bellonotus, Neurus, Bastarna, Thoringus.

Priore loco Valerius Sidonio nomina quae sunt *Lageus, sep-*

1) Eam rem neque Savaro adnotat neque qui editioni Luetjohannianae Sidoni auctorum elenchum subiecit Geislerus.

templex Hister, Hypanis, Peuce, Bastarna, Neurus, Geta, Bellonotus, Bisalta, Halanus, Sarmata, altero *Gelonus, Bellonotus, Neurus, Sauromates (VII 83), Bastarna* subministravit. Notandum est nomina quae sunt *Bastarna, Bellonoti, Lageus, Neurus, Bisalta* praeter allatos locos apud Sidonium non legi, *Bellonotos* apud nullum alium scriptorem. Sidonius igitur uno Valerio auctore utitur. Fructum comparationis habemus variam scripturam *Bellonoti-Balloniti:* utro loco nomen recte nobis tradatur diiudicare non possumus.

Haec praefatus priusquam ad ipsam quaestionem accedam necesse est quaerere quomodo Valerius nomina propria virorum finxerit; nam cum fines tangat nulli carmini ante ipsum notos, permulta nomina apud eum vel primum vel solum leguntur, nec deest suspicio res geographicas in nominibus quibusdam fingendis poetae ante oculos versatas esse. Ea de re scripturus non potest Vergilium quasi ἀρχηγέτην epicorum Latinorum qui post se fuerunt non respicere, cum illos ad Vergilii exemplum et carmina sua instituisse et nomina propria finxisse constet. Tractabo igitur hoc capite nomina propria a Vergilio in Aeneide usurpata.

Caput I.

1.

Vergilius multa nomina ex antiquioribus scriptoribus ita adfert, ut et apud Vergilium et apud illos scriptores iidem homines significentur.

a. ex Iliade.

Achilles Aeacides Aeneas Agenor Aiax Aloidae (εύς) Amphitryon Anchises Anchisiades Andromache Antenor Astyanax Atrides Automedon Calchas Cassandra Castor Cisseus Cymodoce Cymothoe Daedalus Danae Dardanus Deiphobus Demoleos Diomedes Dolon Doto Epeus Eurystheus Galatea Ganymedes Gorgo Hector Hecuba Helena Helenus Hercules Idaeus Idomeneus Laertes Laomedon Lyctius[1] *Lycurgus Machaon Medon Menelaus Minos Mygdonides (ών) Oileus Orestes Palmus (υς) Pandarus Panthus Paris Pelops Peneleus Philoctetes Phoenix Phorcus (υς) Phorbas Pirithous Polites Pollux Polydorus Priamus Rhadamanthus (υς) Rhesus Sarpedon Spio Sthenelus Theseus Thoas Tithonus Tydeus Typhoeus Ucalegon Ulixes Xanthus.*

1) a Lycto oppido, patria Idomenei.

b. ex Odyssea.

(asterisco notavi nomina quae in Iliade non leguntur).

*Achilles *Aeaea Agamemnonius Aiax Aloidae (εύς) Amphitryoniades (ών) Atridae Cassandra Castor *Circe *Cyclops Deiphobus Diomedes Epeus *Eripyle Eumelus Helena Hercules *Hermione Idomeneus *Leda *Memnon Neoptolemus Orestes *Phädra Phorcus (υς) *Pirithous *Polyphemus Priamus *Procris Rhadamanthus (υς) Theseus Thoas Tithonus *Tityos Tydeus.*

c. ex variis vulgatis fabulis Graecorum.

Acrisius Adrastus Aegaeon Alcides Allecto Amycus Androgeos Anius Belides Briareus Brontes Charon Coeus Cycnus Electra Enceladus Euhadne Geryones Harpalyce Hesione Hippolyte Hylaeus Icarus Ilione Laocoon Musaeus Palamedes Parthenopaeus Penthesilea Pentheus Phineus Phlegyas Pholus Pyracmon Pyrrhus Sinon Steropes Telon Thaumas Thessandrus.

d. e fabulis rebusque sacris Romanorum et Italorum.

Argus Caeculus Catillus Coras Creusa Dercennus Egeria Emathion Euander Faunus Feronia Iuturna Picus Pilumnus Quirinus Tiburtus Turnus Tyrrus Venulus Virbius.

e. ex rebus populi Romani.

Agrippa Ancus Antonius Augustus Brutus I Caesar I et II Camillus Capys Catilina Cato Cloelia Cocles Cossus Drusus Fabii Fabricius Gracchus Ilia Manlius Marcellus Maximus Mettus Numitor Porsenna Procas Remus Romulus Scipiades Serranus Silvius, Silvius Aeneas, Tarquinia Tatius Torquatus Tullus.

2.

Haec nomina omnia et apud auctores et apud Vergilium eosdem homines describunt; secuntur nomina, quibus Vergilius originem non spectans utitur ad quemlibet alium hominem significandum. Quin etiam permultis Italis nomina Graeca imponit.

a. ex Iliade.

Abas Actor Adamastus (μας) Aethon (equus) *Alcander Alcathous Antiphates Asius Assaracus Castor Chromis Cinyres Clonius, Clonus* } *Clytius Dares Deiphobe (ος) Diores Doryclus Dryops Echius Erymas Eumedes Eumelos Euneus Euryalos Eurypylus Glaucus Haemon Haemonides Halius Hicetaonius Hippocoon Hyrtacus Hyrtacides Jaera Jasides, Jasius* } Ἴασος *Idas Ilioneus Ilus Imbrasides Iphitus Lycaon Maeon Medon*

Menestheus / *Menesthëus* } Μεν. *Menoetes* (ιος) *Merops* *Noemon* *Orsilochus* *Panopes* *Pelias* *Phegeus* *Phorcus* (υς) *Podalirius* *Prytanis* *Sthenelus* *Teuthras* *Thamyrus* [1]) (ις) *Theano* *Thersilochus* *Thoas* *Thymbraeus.*

b. ex Odyssea.

(nomina quae in Iliade non leguntur asterisco notavi).

Antiphates **Demodocus* *Dymas* *Euryalus* *Eurypylus* **Eurytides* **Eurytion* *Jasides* *Ilus* **Hippotades* *Clytius* **Cretheus* **Lamus* *Medon* **Melampus* **Nautes* **Nisus* *Noemon* *Orsilochus* *Pelias* **Polybotes.*

c. ex Apollonio Rhodio.

Amycus *Butes* *Idmon* *Lynceus* *Lycus.*

d. ex variis fabulis Graecorum.

Acmon *Acoetes* *Aconteus* *Aeolus* *Androgeos* *Antaeus* *Antheus* *Celaeno* *Demophoon* *Gyas* *Harpalycus* *Hippolytus* *Hyllus* *Itys* *Lichas* *Oebalus* *Onites* *Opheltes* *Ornytus* *Pallas* *Pholus* *Pyrgo* *Rhoetus* / *Rhoeteus* } *Ripheus* *Talus* *Tereus.*

e. nomina historica undique desumpta.

Abaris *Achaemenides* *Agis* *Aletes* *Arruns* *Bitias* *Camilla(us)* *Gyges* *Gylippus* *Jopās* (Ἰόβας = *Juba)* *Lagus* *Numa* *Numitor* *Orodes* *Othryades* *Phaleris* (Φάλαρις) *Remus* *Tarpeia* *Themillas* *Theron.*

f. nomina propria Graeca.

Acron *Alcanor* *Anchemolus* *Archippus* *Coroebus* *Cronius* *Cydon* *Didymaon* *Dioxippus* *Dolichaon* *Erichaetes* *Helenor* *Jollas* *Leucaspis* *Nealces* *Orses* *Parthenius* *Patron* *Peridia* *Promolus* *Rhaebus* *Sthenius* *Thaemon.*

g. cognomina Romana.

Cethegus *Hisbo* *Lamyrus* *Niphaeus.*

h. gentibus Romanis antiquissimus auctor tribuitur.

Alsus *Athys* *Caedicus* *Clausus* *Cloanthus* *Ebusus* *Epulo* *Erulus* *Fadus* *Herminius* *Julus* *Lausus* *Murranus* *Sergestus* / *Serestus* } *Tarquitius* *Tulla* *Valerus* *Volusus.*

---

1) Haud scio an legendum sit (XII 341) Thamyris, quod Homerus et Valerius, exemplum et imitator, nobis praebent. In titulis formam quae est Θάμυρος legimus.

i. nomina Tusca et Ligurica.

Asilas *Aunus* *Cupavo* *Mezentius* *Ocnus* *Osinius* *Tarcho* *Tolumnius.*

k. nomina Semitica.

Anna *Dido* *Elissa* *Jarbas* *Pygmalion* *Sychaeus.*

l. nomina Romana et Italica.

Amata *Arcens* *Arcetius* *Camers* *Daucus* *Metiscus* *Numanus* *Rapo* *Remulus* *Rhamnes* *Sacrator.*

m. nomina a deis ducta.

Belus *Cybelus* *Lucetius* *Osiris.*

n. nomina a locis, oppidis, fluviis, gentibus ducta, quorum maior pars nomen geographicum integrum est.

Achates fluvius Siciliae

Acestes nomen tenet ab oppido Siciliae Acesta.

Almo rivus in agro Romano.

Amastrus ab Amastride urbe Paphlagoniae.

Anxur oppidum Latii.

Aphidnus ab oppido Atticae Aphidna.

Aquiculus ab Aequiculis gente Italica.

Asbytes ab Asbytis gente Cyrenaicae.

Ascanius iam ante Vergilium fictum ex nomine geographico Ascania, quod in Troade vel Phrygia saepius reperitur.

Astyr ab Astura oppido Latii.

Atinas ab Atina oppido Latii.

Barce oppidum Cyrenaicae.

Caicus fluvius Asiae.

Caieta oppidum Campaniae.

Calybe a gente Chalybum.

Capys a Capua urbe Campaniae.

Chaon a Chaonia parte Epiri.

Clarus oppidum nobile Joniae.

Corynaeus ab oppido Joniae Coryna.

Daunus a Daunia regione Italiae.

Drances a Drancis vel Drangis gente Asiae.

Dryope a gente Dryopum.

Entellus ab oppido Siciliae Entella.

Galaesus fluvius prope Tarentum.

Halaesus fluvius Joniae aut ab Halaesa oppido Siciliae.

Halys flumen Asiae.

Hebrus fluvius Thraciae.
Helymus Helymi gens Siciliae.
Herbesus oppidum Siciliae.
Hydaspes flumen Indiae.
Hypanis flumen Scythiae.
Japyx Japyges gens Italiae.
Imaon Ἴμαον ὄρος = Imaus = Himavat = Himalaya.
Lades a Lade insula ad Miletum sita.
Ladon fluvius Elidis.
Latagus a Λατάγη oppido Indiae.
Lavinia ab oppido Latii Lavinio.
Liger flumen Galliae.
Liris fluvius Italiae.
Massicus mons Campaniae.
Messapius Messapii gens Italiae.
Metabus nomen Italicum urbis Metaponti.
Misenus a Miseno promonturio.
Orontes fluvius Syriae.
Ortygius ab Ortygia insula.
Pagasus a Pagasis oppido Thessaliae.
Palinurus a Palinuro promonturio.
Pharus insula prope Alexandriam sita.
Privernus a Priverno oppido Italiae.
Saces Sacae gens Asia.
Sagaris fluvius Bithyniae.
Strymonius a Strymone fluvio Thraciae.
Sucro fluvius Hispaniae oppidumque ad eum situm.
Sulmo 1) oppidum Sabinorum.
2) oppidum Latinorum.
Sybaris oppidum magnae Graeciae.
Tagus fluvius Lusitaniae.
Tanais fluvius Scythiae.
Thymber | Θύμβρις fluvius quem Latini
Thymbris | Tiberim vocant.
Tyres fluvius Scythiae.
Ufens rivus Latii.
Umbro fluvius Etruriae.
Volcens Volcentes gens Lucaniae.

o. ex memoria antiquitatis.

Acca Silvia.

p. nomina ab antiquitatibus sacris desumpta.

Cupencus Magus Potitius Salius.

q. explicanti repugnant.

Antores Aulestes Larides Lucagus Quercens.

Huius quaestionis usu instructi transeamus ad nomina propria Valeri tractanda. Hac parte ea tantum nomina tractabo quibus nulla res cum chorographia est.

1.

Nomina ita posita ut homines et apud auctores et apud Valerium eidem sint.

a. ex Apollonio.

Argonautas asterisco distinxi.

*Absyrtus Acastus Achilles Actorides Admetus Aeacides I et II Aeetes Aenidae Aeolus I et II Aeson *Aethalides Agenor Alcimede Aloidae *Amphidamas *Amphion Ampycides Amycus *Ancaeus I et II *Argus I et II *Asterion Athamas Atlas Autolycus Bebryx *Butes Cadmus *Calais *Canthus *Castor Cecrops *Cepheus Chalciope Chiron Circe Clite Cometes Cretheus Cytisorus Cyzicus *Deileon Dolops *Echion *Erginus *Eribotes *Euphemus Eurystheus *Eurytion, Genetaeus Jupiter, Glaucus deus, Gorgo Hagniades Hercules Hippodamia Hippotades Hylas Hypsipyle *Jason *Idas *Idmon *Iphiclus I et II Iphinoe Iphitus, Iris dea, *Leodocus Learchus (sch. I 1114) Lycus rex *Lynceus Medea Melas *Meleager Melie *Menoetius *Mopsus Naubolides *Nauplius Nelides Nereus Oeagrus Oenides *Oileus Orithyia *Orpheus *Peleus Pelias Pelops Periclymenus, Perseis Hecate, Perseus *Phalerus Philyra Phineus *Phlias Phlogius Phorcys Phrixus Phrontis *Pollux Polyphemus I Polyxo *Talaus *Telamon Tethys Theseus Thoas Thyiades *Tiphys Tityos Triton Tyndareos Typhoeus *Zetes I.*

b. ex aliis Argonauticis [1]).

**Clymenus *Deucalion *Iphis Nestor *Philoctetes (Poeantius) Tydeus.*

c. e Vergilio.

Aeneadum genus, Alcides Amphitryonides, Celaeno Harpyia, Coeus Cymothoe Doto Dryope Hesiona Ilus Laomedon, adj. Minoius, Pholus

1) Cf. Meier, Quaestiones Argonauticae p. 49 s.

Centaurus, Priamus Proteus Pyragmon Cyclops, Thaumantias Iris, Tisiphone, Umber canis.

d. ex Homero.

Polyphemus.

e. ex historia.

Sesostris. cf. Getae.

2.

Nomina in quemlibet alium hominem translata origine neglecta.

a. ex Apollonio.

Abas Actor Brotes[1]) *Dipsas* (Δίψακος) *Eurynome Eurytus* (ίων), *Idmon*[2]) *Cyzic.*, *Nisaeus* (αῖοι) *Olenius (inde Valerius alterius viri patronymicon Olenides finxit) Oncheus* (Ὄγχηστος) *Ornytus Phoceus* (ος) *Prion* (Πριόλης) *Salmonis Zelys, Zetes (Colchus).*

b. e Vergilio.

Abaris Acamans Amastrus Amythaon Anxur Caicus Celaeneus (no) Corythus Didymaon Doryclus Dryope (Lemnias) Dymas Echionius Erymus (as) Euryale (us) Halys Hebrus I et II Hypanis Itys Latagus Lyctius Medon Mygdon Neaera Nealces Opheltes Panope Phlegyas I et II Picus Ripheus Saces Thamyris Tyres.

Notandum est, quot nomina geographica inter haec pauca e Vergilio desumpta nomina reperiantur.

c. ex Homero.

Bienor Echeclus Glaucus Otreus Phalces.

d. nomina a deis ducta.

Ares Tages (Cic div. II 23. Stat. silv. II 1. Mart. Cap. VI 637. Censorin. IV 13).

---

1) Sine ulla dubitatione coniectura *Brontes* quam Caussin protulit (Langen. ad IV 152) recipienda est; Μεγαβρόντης quod apud Apollonium legitur decurtatum est ita ut Brontes efficiatur.

2) Editores Thilonem secuti traditam scripturam *Idmon* coniectura *Admon* expulerunt quod *non credibile sit poetam nomen unius ex notissimis Argonautis etiam cuidam Cyziceno dedisse.* Prorsus eodem modo ipse Valerius nominibus quae sunt *Iron Hebrus Zetes* (et Argonauta et Colchus), Vergilius nominibus quae sunt *Abas Actor Amycus Asilas Bitias Gyas Japyx* (equus et Troianus scilicet) *Menoetes Rhoetus* bis utitur.

e. nomina historica.

Apres = Ἀπρίης, rex Aegypti.

Ariasmenus (VI 103). Multa similia nomina historica reperiuntur, ut Ariarathes, Ariaspae, Ariacae, Ariaramnes, Ariana, Ariabignes, Ariamenes. His nominibus Ariasmenum inserendum esse puto, quamquam neque de forma neque de origine certi aliquid proferre possum.

Codrus (II 136), nobilissimus rex Athenarum.

Colaxes. Val. VI 48 ss.

proxima Bisaltae legio ductorque Colaxes
sanguis et ipse deum, Scythicis quem Juppiter oris
progenuit viridem Myracen Tibisenaque iuxta
ostia, semifero (dignum si credere) captus
corpere, nec nymphae geminos exhorruit angues.

Herod. IV 5 ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσι, νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον, τοῦτο δὲ γενέσθαι ὧδε. ἄνδρα γενέσθαι πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ ἐούσῃ ἐρήμῳ, τῷ οὔνομα εἶναι Ταργιτάον. τοῦ δὲ Ταργιτάου τούτου τοὺς τοκέας λέγουσι εἶναι, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες, λέγουσι δ'ὦν, Δία τε καὶ Βορυσθένεος τοῦ ποταμοῦ θυγατέρα. γένεος μὲν τοιούτου δή τινος γενέσθαι παῖδας τρεῖς, Λιπόξαϊν καὶ Ἀρπόξαϊν καὶ νεώτατον Κολαξαϊν (cf. Diels in Hermae vol. XXXI p. 358). Cum hoc loco alter coniunctus est IV 9 ὡς δὲ ἐγερθῆναι τὸν Ἡρακλέα, δίζησθαι, πάντα δὲ τὰ τῆς χώρης ἐπεξελθόντα τέλος ἀπικέσθαι ἐς τὴν Ὑλαίην καλεομένην γῆν. ἐνθαῦτα δὲ αὐτὸν εὑρεῖν ἐν ἄντρῳ μιξοπάρθενόν τινα ἔχιδναν διφυέα, τῆς τὰ μὲν ἄνω ἀπὸ τῶν γλουτῶν εἶναι γυναικὸς τὰ δὲ ἔνερθε ὄφιος. ἰδόντα δὲ καὶ θαυμάσαντα ἐπείρεσθαί μιν, εἴ κου ἴδοι ἵππους πλανεομένας, τὴν δὲ φάναι ἑωυτὴν ἔχειν καὶ οὐκ ἀποδώσειν ἐκείνῳ πρὶν ἤ οἱ μιχθῆναι. τὸν δὲ Ἡρακλέα μιχθῆναι ἐπὶ τῷ μισθῷ τούτῳ.

Qui Colaxes nulla ratione cohaeret cum Bisaltis movetque suspicionem in alios duces quos Valerius gentibus quibusdam praefecit; cf. Bastarnae. Non licet ex talibus rebus colligere Valerium Herodoti libros legisse, id quod omnino alienum erat ab hominibus illius saeculi; ex Herodoto tot res in chorographias et in mirabilium scriptores et in νόμιμα βαρβαρικά translatae erant, atque inde multo commodius eas desumere Valerius potuit quam ex ipso Herodoto.

Cotys (III 112), nomen multorum regum Thracum.

Datis (VI 65), nobilis dux Persarum.

Taxes (VI 252). Herod. IV 120 τὰς δὲ δύο τῶν βασιληίων, τήν τε μεγάλην τῆς ἦρχε Ἰδάνθυρσος καὶ τὴν τρίτην τῆς ἐβασίλευσε Τάξακις.

Vanus (VI 115). Partes eius ad exemplum Amphiarai fictae esse videntur. Neque de Achaicaro vate Bosporanorum (Strab. p. 762) neque de Herod. IV 67 μάντιες δὲ Σκυθέων εἰσὶ πολλοί cogitandum esse puto; nam inde a Calchante in omnibus exercitibus quas poetae epici nobis describunt, vatem esse oportet. Nomen Vani ex rebus illius aevi haustum est. Erat tum rex nobilissimus Sueborum Vannius. Anno p. C. 19 Vannius a Romanis iis Marcomannis, qui cum Maroboduo et Catualda profugerant, rex praefectus est, Tac. ann. II 63. Id regnum ita conditum per tempus admodum longum duravit. Plin. IV 81 *a Maro (sive Duria est a Suebis regnoque Vanniano dirimens eos) aversa Bastarnaei tenent aliique inde Germani.* Anno p. C. 50 Vannius non parvo bello exorto regno pulsus est, Tac. ann. XII 29 s. De hoc regno Tacitus haec verba facit: *Nam vis innumera, Lugii aliaeque gentes, adventabant, fama ditis regni, quod Vannius triginta per annos praedationibus et vectigalibus auxerat.* Inde apparet hoc regnum admodum notum fuisse. Pulsum Romani receperunt, sedesque ei et clientibus in Pannonia dederunt. Filii sororis eius in bello civili pro Vespasiano pugnabant, Tac. hist. III 5. 21, qua occasione memoria regis Vannii in mentibus Romanorum redintegrata est. Quem Vannium Valerio, qui brevissimo tempore post hoc bellum carmen suum Vespasiano dedicavit, ante oculos versatum esse non mirum est.

f. nomina propria Graeca.

Ambrosius (III 138). *Crenaeus* (III 178). *Cydrus* (III 192). *Dorceus* (III 159). *Genysus* III 114. Crederes Genysum Cyzicenum appellatum esse a Genuso fluvio Illyriae, qui inter Apolloniam et Dyrrhachium in mare se proicit. Cyzicenorum autem nomina, quia eorum urbs fabulis nobilis erat, ab reliquis separanda sunt omniaque aut domestica aut certe Graeca videntur esse.

Hăges (III 191). Valde errare puto de Vitum dicentem hoc nomen asianum esse; permotus est fratre Pori regis Hage (Curtius VIII 14, 2), qui, ut sit genuinum nomen, hoc loco omittendus est. Habemus nomina ut Εὐ-ἄγης, quorum hypocoristicon *Hăges* est.

Harpe, Lyce, Thoe Amazonides a Valerio ita appellatae sunt ut celeritas exprimeretur, ut recte Langenus ad VI 374 exponit. Item *Menippes* nomen conveniens Amazoni est. Nomen Harpes in suum usum convertit Silius II 117, quo probatur nobis hoc nomen non corruptum esse ex *Marpe*, quae Amazonis apud Diod. IV 16, 3 invenitur.

Helix (VI 570). Fortasse ex Ov. met. V 87; et alibi legitur hoc nomen, ut Alciphr. I 37.

Hypso (I 367). Hypocoristicon nominis Hypsipyles.

Lexanor (VI 686). Hoc nomen Graece similiter formatum est atque Ῥηξήνωρ, Τεισάνωρ etc.

Melanthus.

Ocreus, Colchus VI 251.

Olbus (VI 638) alibi non legitur, contra nomen *Olbius* non ita rarum est.

Protis (III 158). Non recte Langenus in indice de hoc nomine dubitationem significat; est hypocoristicon recte formatum nominis qui est Πρώτιππος legiturque CIA II No. 98 v. 4.

Pyrnus (III 112); cf. πυρναῖος, i. e. maturus.

Sȳbōtes (VI 249).

Telecoon (III 140). Quamquam alibi nusquam legitur tamen optime formatum est hoc nomen nec Graeco homine indignum; cf. Λαοκόων, Ἱπποκόων.

Thyotes (II 438) ut sacerdos recte nominatus est a verbo quod est θυοῦν, ita ut sit turicrema vel turificator.

g. Nomina Parthorum et Persarum.

Valerius magistrum suum Vergilium secutus, qui Orodem in carmen recepit, nonnulla Parthorum nomina adhibuit.

Monaeses-Monaesus (VI 189. 651). Duplex forma non Valerii arbitrio debetur, sed aliorum auctorum testimonio apparet has duas formas vere fuisse, consulto igitur Valerium utraque usum esse. Non recte Meynckius (Quaestiones Valerianae) p. 55 „*equidem quin poeta Colchum utroque loco vel Monesum vel Monaesen appellaverit non dubito*". Fugit Meynckium non unum, sed duos Colchos esse. Scribendum nomen esse per ae, non e,

consentaneum est, cum Graeca forma Μόναισος vel Μοναίσης sit.

Otaces (VI 121. 529) (et variata forma *Otaxes*) nomen Persicum esse ex Thuc. VIII 16 apparet. Vossius ducem Parthorum Osacem (Cic. ad Att. V 20, 3) affert; quod quamquam bene excogitatum tamen non recipiendum est, quia non est cur tradita mutemus. Crederes Otacis nomen ex Ponticis regionibus ipsis aliquo modo Valerio suppeditatum esse, quia in titulis Ponti Euxini quos Latyschew collegit nomen Ἀτακούας vel Ἀτακόας saepius legitur, II 402. 403. 404, Inscriptionum Graecarum Caucasi (quas Pomjalowsky edidit Sarmatarum lingua usus) No. 49. 50, quam formam nomini Otacis vel Otagis subesse veri dissimillimum est. Fulcires hanc opinionem relegans nos ad nomina quae sunt *Hypanos* IPE I 180), *Hypanis* (I 78), *Pairisades* [1]). Quae omnia fulcimenta videntur, non sunt. Nemo negabit fieri posse ut in Scythia aliquis Hypanis vel Hypanos appelletur: saepius et in his et in aliis regionibus accidit, ut nomina geographica vera nomina propria hominum fiant: praeterea Valerius Hypanim e Vergilio transtulit, qui quot nominibus geographicis usus sit supra demonstravimus. Barisas (VI 557) nullo modo cohaeret cum Παιρισάδης, hoc quoque nomen Persicum est atque nobilissimum, nam uni e septem Persis qui cum Dario Pseudosmerdin interfecerunt nomen Βαρίσσης erat teste Ctesia apud Phot. cod. 72 p. 38^{22} Bekker. Linquitur Otaces ipse, quod idem nomen esse atque Ἀτακούας vel Ἀτακόας nego. Ponamus idem esse. Mithradates Eupator regnum suum continuationem regni Persarum esse praedicans omnia Persico more instituit; ipsum se a Cyro ortum ferebat. Itaque permulta nomina Persica in eius regno invenimus, ipsius regis nomen Persicum est. Paulo postquam dominatio ad eum pervenit, regnum Bosporanum veteri regno adiecit, consentaneumque est Mithradatem in novo regno iisdem consiliis usum esse atque in vetere; inde ab illo tempore multa nomina propria Persica in titulis regni Bosporani reperiuntur, praesertim cum hoc regnum etiam post Mithradatis mortem filio eius hereditate tra-

1) Hunc *Παιρισάδην* Demosthenes, qui Scythica matre ortus nomina Scythica optime novisse potuit, *Βηρισάδην* appellat (in Aristocr. 8. item Athenaeus VIII 549d. CIA 2^2 No. 3145 *Βηρεισάδης*) et *Παρισάδην* (in Phorm. § 8. 36). Facile igitur nomen Barisae inde fingi potuit.

ditum sit; invenies ibi multa nobilia nomina Persarum, ut Achaemenis, Zopyri, Orontis, Roxanes, Spithamis, Arsacis, Ariaramnis, plura minus nota. Falso igitur Müllenhoffius (Antiquitat. German vol. III p. 107 s.) his nominibus testimonio utitur Scythas cognatos Persarum esse. Minime mirandum esset nomen Otacis in Scythia reperiri; num inde concludi potest Valerium hoc nomen ex Scythia petisse?

Parum constat de nomine quod *Syenen* in editionibus legimus. Haud inepte Vossius hoc nomen ita explicat: „*ego vix dubitem quin a Syanis nomen illud Syenis deduxerit Valerius. Vide de iis Strabonem lib. XI. Plin. lib. VI cap. 4 aliosque*". Cui explicationi optimae duae res repugnant. Nullo excepto omnes auctores (Strabo p. 499. Diod. 40, 4. Plin. VI 4. XXXIII 52. Ptol. V 9, 11. 25. 12, 2. Phot. cod. 64. Menander Protector 10. Ravennas II 12. IPE No. 447) forma *Suani*, non *Sueni* utuntur. Deinde hoc nomen duobus locis quibus exstat non aequabiliter traditur: VI 74 *Syrenen*, 703 *Syenen* traditum est. Utrumque ferri et explicari potest. Si legimus *Syrenes* subest sine dubio nomen nobilissimi ducis Parthorum qui est Surenas vel Surenes. In codicibus facile Surenas in Syrenas abire potuit, ut apud Florum I 46 (= III 11) *sirenas* B *syrenas* C. Hanc explicationem non invertit qui obicit primam syllabam nominis Surenae productam esse quia Graeca forma huius nominis Σουρήνης sit; nam syllaba ου in exteris nominibus et producta et correpta esse potest, neque apud ullum poetam inveni nomen Surenae. Rectius igitur e Valerio concluderetur syllabam ου brevem esse. Praeterea reliqua nomina Parthica suadent ut hanc interpretationem accipiamus. Si legimus *Syenes* oppidum Aegypti Syene subest. Utrum accipiendum sit pro certo dici non potest: utrumque pariter respondet consuetudini poetae.

Zacorus (VI 554). Nominibus Parthicis insero nomen quod legimus in editionibus *Zacorus*. Vox Graeca non rara ζάκορος significat aedituum, dei ministrum; inde hierophantes quidam apud Lysiam VI 54 Ζάκορος appellatur. Num credibile est Valerium hoc nomen sacrum militi alicui Scythico nulla ratione indidisse? Minime. Praeterea omnium nominum quae apud Valerium leguntur, ne unum quidem tali modo formatum est. Mea quidem

sententia opus est lenissima mutatione scribi *Pacorus*, quod nomen Parthicum notissimum fuit Romanis.

i. Nomina geographica.

Aea nympha (V 425).

Aquites sacerdos Phasidis (VI 295), ab Aquitanis [1]). Similiter Valerius ab Armeniis nomen quod est *Armes* finxit.

Caresus (VI 192) Scythes nomen accepit a fluvio quodam Troadis, quem Valerius invenit apud Homerum, Il. M. 20

ὅσσοι ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων ἅλαδε προρέουσιν
Ῥῆσος θ' Ἑπτάπορός τε Κάρησός τε Ῥόδιός τε.

Eosdem fluvios ex Homeri carmine noverunt Strabo p. 602. Plin. V 124 (eodem ordine). Martialis VI 39,21 affert Coresum quendam, cuius nomen cum hoc coniungendum esse non puto.

Caucasus Colchus (VI 671).

Maeotis nympha (VI 565). Valerius hanc nympham eadem licentia ex palude Maeotide finxit ac Vergilius Aen. IV 198 Garamantidem nympham ex gente Garamantum. Eadem ratione *Peuce* nympha (VIII 256) et *Peucon* Scythes (VI 564) ficti sunt.

Odrussa (V 591). Hoc nomen socii cuiusdam Colchorum ab Odrysarum gente desumptum esse nemo non videt. Syllabam mediam in Odrysarum nomine brevem Valerius ad arbitrium produxit littera s geminata.

Sidon (VI 69). Scythes fictus ex urbe Phoeniciae aut ex gente Sidonum.

k. Nomina propria de quibus incertum iudicium.

Aron socius Colchorum (V, 587).

Campesus socius Colchorum (V 590).

Ceramnus Scythes (VI 550).

Coastes dux Choatrarum (VI 155). Ab aliqua regione desumptum esse videtur, qualia sunt nomina *Choatras, Choana, Choara, Choarene, Choaspes.* Quae Valerius de Coaste narrat, VI 155 ss, sumpta sunt ex Aen. VII 750 ss.

---

1) Syllaba altera correpta utitur poeta; similiter a Stȳra oppido nomen Stȳri, ab Odrȳsis Odrūssae, Vergilius ab Aequiculorum gente nomen Āquiculi finxit.

Crĕmēdon Albanus (VI 194) fortasse conferendus est cum Cremetaone, Stat. Theb. VII 712, cum nomina apud Statium reperta haud raro concinant cum eis quae apud Valerium legimus.

Gesander rex Jazygum (VI 280). Aspernor de Viti explicationem γῆς ἀνήρ; sine dubio inest ἀνήρ, priorem partem malim ducere a vocabulo quod est gaesum; cf. Köstlin, Philol. 39 p. 438, cui forma Gaesander placet.

Gessithous Colchus. (VI 637). Secunda pars videtur θοός esse, prior ab eodem γαῖσον vocabulo, ita ut nomen sit Gaesithous.

Hypetaonis Colchi nomen (VI 637). fortasse corruptum ex *Hicetaon*, quod nomen apud Homerum et Vergilium legimus. An Hypataon a vocabulo quod est ὕπατος, ut Ἰάπετος — Ἰαπετανίδης?

Idasmenus, Scythes. VI 196.

Medores, Scythes. VI 211.

Oebasus Colchus (VI 245). Valerius videtur immutasse nomen Oebaris, agasonis nobilissimi Darii, Herod. III 85—88. VI 33. Nicol. Dam. fr. 66. Polyaen. VII 16. Val. Max. VII 2. Ampelius 30,5. An corruptum dicemus ex Oebalus?

Rambelus Scythes. (VI 529). Hoc nomen neque Graecum neque Latinum est; videtur Thracium esse, si modo idem est ac Ῥηβούλας (C. J. A. II[1] add. 175[b] Ῥηβούλας Σεύθου βασιλέως Ὀδρυσῶν υἱός.). Alibi hoc nomen non repperi; fieri potest ut aliquis dux Thracum, quorum cohortes primo p. C. saeculo in exercitibus Romanis nobilem locum tenebant, Romae degens hoc nomen Valerio suppeditarit. Fortasse etiam regi alicui Thracum hoc nomen erat, qui nobis plane incognitus est. Tamen haec opinio satis incerta est neque nego fieri posse, ut aliquod nomen geographicum sub hoc nomine lateat: Ῥαμβαίους gentem Syriae Strabo p. 753 describit. An Rhamphelus (ῥαμφηλαί ut γαμφηλαί)?

Rhadalus Scythes. (VI 69). Id quoque nomen barbaricum videtur esse. In titulis Ponti Euxini multa similia nomina invenimus, ut Ῥαδαμψῶν, Ῥαδάγωσος, Ῥαδαμσάδιος, Ῥαδάμασις, Ῥαδαμόφουρτος, Ῥαδάμειστος. Videtur Valerius nomen principis alicuius barbarorum qui oculos hominum illius aevi in se convertit, in suum usum vertisse, fortasse ita, ut ipse hypocoristicon fingeret; Tac. ann. XII 44 mentionem facit Radamisti filii regis Hiberorum.

Suetes Scythes. (VI 550). Non puto Suetem conferendum

esse cum gentilicio nomine Suetiorum (Cic. Verr. I, 5,14). Coniecturam Schraderi *Seuthes* (Wagner p. 213) quamquam laudo tamen non accipio, siquidem plura sunt Valeri nomina quae explicationem non admittant.

Teutagonus (VI 97) v. s. Bastarnae.

Voraptus Scythes (VI 288).

Non casu factum esse puto ut haec omnia quae explicanti repugnant nomina barbarorum sunt, causamque eius rei eam esse dico, quod permulta nomina geographica a nullo alio auctore servata cum auctore Valerii plane perierunt; ut exempla afferam non explicarentur nomina quae sunt Myraces, Ambenus, Latris, Iron, Daraps, si haec nomina geographica apud alios scriptores servata non essent. In nominibus quae sunt Aron Campesus Coastes Ceramnus Cremedon Gessithous Suetes talia nomina latere persuasum habeo.

Res geographicae quas Valerius Apollonio debet.

Aespus. Amyrus. Ancon (recte Lang. ad IV 600. cf. Peters, de C. Valerii Flacci vita et carmine p. 69). *Apidanus. Arene* I 463 (apud Apoll. I 152. 471 Areno oppidum Messeniae est, patria Idae et Lyncei. Nescio cur Langenus et Bährensius Arenen matrem duorum dicant: minime necesse est, ut verba poetae „quem tulit Arene" matrem indicent, cf. Verg. Aen. XI 285

Si duo praeterea talis Idaea tulisset Terra viros.

Ego quoque credo Valerium schol. ad Ap. I 152 legisse quo docemur Pherecydem Arenen matrem eorum fecisse: non probatur hoc scholio Valerium ab Apollonio discessisse). *Assyrius sinus. Athos. Byzeres* [1]). *Callichorus. Carambis. Caucasus. Ceraunia. Chalybes. Colchi* (Colchos ab Aegyptiis ortos esse fortasse ex Apollonio sumpsit Valerius; veri similius autem est propter bellum Geticum a Sesostride gestum totam rem haustam esse ex chorographia quae pendet ab Herod. II 103). *Crobialus. Cromna. Cyaneae. Cytorus. Doliones. Enipeus. Eridanus. Erythia* (oppidum Erythiam Valerius in navigationem Argonautarum

1) epitheton vagorum Valerius eis ex arbitrio suo dedit; gentes montes incolentes non vagi sunt, et apud reliquos auctores (Scylacem 82 Hecat. 119. Dion. Per. 765. Ap. Rh. II 396. 1244. Strab. p. 549, inde Steph. Byz. Ἑπτακομῆται, Steph. Byz. Βύζηρες) nihil de ea re legitur.

apud Ap. II 947 inter Cytoron et Carambim inseruit, vel potius ordinem mutavit nomenque apud Apollonium repertum Ἐρυθῖνοι ex libidine mutavit in *Erythia,* quae insula labore Herculis notissima erat. Eadem libidine usus est in nomine oppidi Pellenes laudando.). *Eurymenae. Haemonia. Halys. Imbrus. Jolcus. Jonium mare. Iris. Lemnus. Lyrceia* tellus. *Macrones* (hoc Valerius V 151 ex Apollonio vero loco in navigationem Argonautarum recepit, sed plus de eis narrat quam ex Apollonio colligere potuit,

Mossyni [1]) *vos et stabulis Macrones ab altis.*

Hanc rem Valerius ad arbitrium suum transtulit a Mossynoecis in eodem versu memoratis, de quibus haec apud Apoll. II 379 ss invenit:

Τῇ δ'ἔπι Μοσσύνοικοι ὁμούριοι ὑλήεσσαν
ἑξείης ἤπειρον, ὑπωρείας τε νέμονται
δουρατέοις πύργοισιν ἐν οἰκία τεκτήναντες.

Res ipsa primum narratur a Xenophonte anab. V, 4,26.) *Magnesia. Mariandyni. Minyae. Mossynoeci* V, 151 (traditam scripturam *Mossynoeci* [2]), quae concinit cum Apollonii scriptura Μοσσύνοικοι, mutare rectum mihi non videtur, cum non facile intellegatur quo modo haec scriptura corrupta orta esse possit neque ullo loco interpolationes in Vaticano repertae sint. Concedo Latinos semper breviore forma quae est *Mossyni* usos fuisse, excepto Ammiano XXII 8,21, tamen haec causa non iusta mihi videtur, ut memoriam non suspectam abiciamus. Lego cum Leone *vos Mossynoeci et.*) *Mysia. Ossa. Othrys. Pagasae. Pallene. Parrhasius. Pelasgi. Pelion. Pella* (ita Valerius ad arbitrium nomen Pellenes quod apud Ap. legit, mutat; excusatur eo quod Apollonius illo loco, I 177, Pellenen oppidum a Pelle conditam facit.). *Percote. Peuce. Pherae. Phlegra. Phylace. Piresius. Pitya* (hanc formam ex schol. ad I 933 sumpsit; Apollonius ipse scripsit Πιτύεια.). *Sciathus. Sepias* (inverso ordine.). *Strophades. Tegea. Thermodon. Thespiae. Thynea lithora. Tibareni. Tisaea Diana.*

Res geographicae ex Homero sumptae:

Elis (Od. 21, 347). *Hyperia* (Il. IV 457). *Malea. Messeides undae* (Il. VI 457).

1) v. infra.
2) moossonychi V.

Res geographicae e Vergilio sumptae:

Hyperboreae pruinae (Ge. IV 517s). *Inarime* (Aen. IX 745). *Laurentes terrae. Lesbos* (Ge. II. 90). *Massyli. Pergama. Teucri. Thybris. Trinacria.*

Ex Ovidio haustum:

Lycormas.

Ex aliis Argonauticis inserta haec sunt [1]):

Parium. Lampsacus. Euarchus et *Taras* comprehenduntur versu VI 102, quem hoc loco ubi nunc legitur ineptum esse apertum est. Sive ponas excidisse nonnulla sive transponas versum quocumque velis, satisfacies nemini. Puto versum in schedis poetae ab editore carminis imperfecti repertum et aliquo loco qui ei aptissimus visus est insertum esse ne omnino periret: versum non interpolatum esse apparet. Licet nobis conicere quo loco poeta hunc versum collocaturus fuit. Et. M. s. v. Εὔαρχος: φασὶ δὲ καὶ ποταμόν τινα παρὰ τὴν Σινώπην Εὔαρχον ὑπὸ τῶν Ἀργοναυτῶν προσηγορεῦσθαι, ἀφ' οὗ πρῶτον ἔπιον, ὥς φησιν Εὐφορίων

ἢ οἱ Εὐάρχοιο φερεκλεὲς [2]) ἀμφὶ ῥεέθρων.

Ergo Valerius Euarchum simulque, opinor, Taram sumpsit ex aliis Argonauticis, quae aut ipse adhibuit aut in scholiis ad Apollonium allata repperit. De situ huius fluminis multa accurate nobis traduntur. Epit. Peripli Menippei 9 s. (inde Steph. B. Καππαδοκία) ἀπὸ Σινώπης εἰς Εὔαρχον ποταμὸν στάδιοι π'. οὗτος ὁ ποταμὸς ὁρίζει Παφλαγονίαν καὶ τὴν ἐχομένην Καππαδοκίαν.... 10. ἀπὸ Εὐάρχου ποταμοῦ εἰς Κάρουσαν χωρίον στάδιοι ό. Similiter Anon. peripl. 23 s. Plin. VI 2,2 cf. Geogr. Gr. minores vol. III Tab. XVIII. Igitur versus collocandus fuit post V 119; ut nunc est ibi locum non habet, neque cernere possumus quid Valerius hoc versu voluerit. De Euarcho nihil nisi nomen invenire potuit, olores niveos transtulit: Ov. her. 7,1 in Maeandro sunt. De Tara flumine nihil notum; longe ab Euarcho Taram distare non puto.

Argonautas ad *Sigeum* appulisse Valerius non apud Apollonium legit; in aliis Argonauticis de ea re narrationes fuisse testes nobis sunt Hygin. fab. 89 et Diod. IV 42.

1) cf. Schwartz, de Dionysio Scythobrachione p. 36.
2) cf. Hermae vol. XXII, p. 508.

Loca, gentes, oppida etc. vel carminibus vel fabulis vel deorum cultu vel situ notissima, ita ut de auctore geographico cogitandum non sit.

Aea. Almo. Alpes. Alpheus. Amymone. Argus III. Atrax. Bistones. Boebeis. Caledonius oceanus (notus rebus gestis Vespasiani.). *Calpe. Calydon. Caphareus. Chalcis. Chaonius. Cithaeron. Clarius. Cleonae. Cleopatra. Cytaei Cythera. Daedalus. Dindyma. Edoni. Erymanthus. Eryx. Euboea. Euripus. Eurotas. Galatea. Gargara. Geraestus. Gortyn. Haemus* [1]). *Hippasus. Hymettus. Jasia virgo. Ida. Idalium. Idume* (= Hierosolyma, nota bello Vespasiani). *Indi. Inopus. Isthmus. Lageus. Latmius. Leleges. Libya. Lipara. Lycurgus. Macetes. Maurus. Memphis. Monychus. Mycenae. Nemea. Nessus. Nilus. Nonacris. Nyctelius. Odrysius. Oebalides. Ogygius. Olenius.* (Olenii Tydei mentionem Stat. Theb. I 402 ex Valerio mutuatus est. Lactantius hunc Statii locum ita explicat: „Calydon Pleuron et Olenus civitates sunt Aetoliae, unde fuit Tydeus atque ideo modo Olenium dicit modo Calydonium modo Pleuronium.“ Quae tria oppida Aetoliae reperiebantur Il. II 639 s; Tydeus Calydone oriundus ab Homero Αἰτώλιος appellatur Il. IV 399. Ita explicatur cur Olenius appelletur quamquam Calydon patria eius est.). *Orestes. Ostia. Padus. Paeones. Panchaea. Pangaeus. Paros. Parnassus. Pelorus. Peneia laurus. Pentheus. Perses* (cf. p. 5) *Perseus. Phaeton. Pharus. Pholoe. Phryges. Pindus. Pisa. Pleione* (ex Ovidio). *Porthaonides* (ex Ov. met. VIII 541) *Pyrois* (ex Ovidio) *Pyrrha. Rhodope. Rhoetus. Riphaeus* (haec vox usitatissima erat, ut „septemtrionalis“ aut „Scythicus“ significaretur, neque aliter Valerius ea utitur. Riphaeus triumphus VI 116 non a Valerio fictus sed ex rerum scriptoribus translatus est, qui Herod. I 6. 15. 103. IV 1. 11. 12. VII 20 secuti magnas Scytharum et Cimmeriorum incursiones in Asiam factas narrant. Harum incursionum magnitudinem Valerius poetica licentia amplificavit.). *Sabaei. Salmoneus. Samothrace. Siculus. Sidon. Symplegades. Syrtes. Taenarus. Tauri.*

1) Langenus ad I 24 poetis errorem geographicum obicit dicens: *interdum a poetis Haemus usque in Thessaliam pertinere statuitur.* Hanc rem facillime inde explicari puto quod Thessalia saepissime etiam Haemonia appellatur. Quod nomen minime cohaerere cum Haemo monte iam inde colligi potest, quod in Arcadibus, qui eiusdem stirpis sunt ac Thessali, oppidum Αἱμονιαί erat.

Taygetus. Tempe. Thebae. Thessalia. Thracia (barbaricarum navium descriptio II 108 ss e Lucano IV 130 ss hausta est.). *Tiberinus. Tirynthius. Troia. Tuscum mare. Tyrius. Tyrrhenus. Tyrus. Vesuvius.*

Caput II.

His rebus perquisitis accedam ad ipsa fragmenta geographica in carmine Valerii latentia disponamque ea per easdem tres terrae partes quibus veteres orbem terrarum dividebant.

I. Asia.

Alani[1]) (VI 42) Alanorum nomen primum legitur apud Senecam, Thyest. 630. Deinde apud Lucanum VIII 223:

et sequerer duros aeterni Martis Alanos.

et X 454:

quem non violasset Alanus.

Plin. IV 80 *Trogodytae, mox Alani et Rhoxolani.* Joseph. ant. Ind. 18,97 et bell. Ind. VIII 7,4 narrat Alanos in imperium Parthorum irrupisse; apud Suet. Domit. 2 Parthorum rex Vologaesus auxilium contra Alanos petit. Haec sunt praeter Valerium testimonia antiquissima de Alanis, quae inter se optime cohaerent. Minime mirum est Alanorum nomen tum demum innotuisse[2]). Remotae illae regiones, quae numquam ad regnum Ponticum aut Bosporanum pertinuerunt, non prius paulo melius innotuerunt quam cum primis Caesaribus regnantibus mercatores saepius illuc commeabant belloque anno p. C. 49 ibi gesto multis novis nominibus scripta geographorum augebantur[3]). Quae cum ita sint auctorem

1) cf. Tomasch. ap. Pauly-Wiss.

2) nam ex Lucano non conligendum est Pompeium Alanos adiisse: Alani a parte septentrionali Caucasi incolunt, Pompeius Caucasum non superavit: deinde mirum esset si de hac gente quam Pompeius adiit apud eos scriptores qui memoriam Mithradaticorum nobis servaverunt, Plutarchum Strabonem Dionem Appianum nihil legeremus. Legas catalogos apud Lucanum: invenies eum non ita diligenter verum curasse, et res immiscuisse illi loco non aptas. Apparet eum studuisse, ut res veteres novis augeret. Itaque testimonium Lucani non ad Pompei sed ad Lucani tempus referendum est.

3) cf. Müllenhoffium III p. 42: und dazu stimmt vollkommen, dass

Valerii anno p. Chr. 50 non multo antiquiorem, fortasse etiam posteriorem esse intellegimus.

Videntur scriptores inter se discordes esse, cum alteri Alanos ad Histrum ponant alteri ad Caucasum (Langen. ad VI 43). Res non ita se habet. Alani certas sedes supra Caucasum habebant, quas usque ad exeuntem antiquitatem obtinuerunt. Pars eorum, non omnes, ex his sedibus demigraverunt ut novas peterent, pars remansit, ut in illa migratione quam novicio verbo migrationem gentium appellare consuevimus, sedes non omnino relinquebantur, sed pars superflua hominum sedes mutabat, reliqui remanebant. Inde discrepantia quae videtur de situ Alanorum orta est: pars scriptorum sedes migrantium, pars sedes remanentium Alanorum describit. Prioris classis sunt Plin. IV 80. Ptol. III 5,$_{5.7}$. IV 14,$_{9}$. Dion. Per. 305. Marcian. peripl. II 39. Capitolinus Marcus 22. Gordianus III 34. Maximinus 1,$_{1}$. Avienus 443. Auson. precat. cos. des. 32. III 5,$_{22}$. Mart. Cap. VI 663. Claudianus de cons. Stil. I 109. Pacati paneg. Theod. 11.32. Dicuil 1. Seneca l. c. Alterius classis sunt Lucanus l. c. Joseph. l. c. Dio Cass. 69,$_{15}$. Ammianus XXII, 8,$_{31.38.42}$. XXIII 5,$_{16}$. 6,$_{61}$. XXXI 2,$_{12.13.21}$. 3,$_{1}$. Iul. Valer. I, 1. Tab. Peut. Tabula Ebstorfiana 5. Sidonius ep. IV 1,$_{4}$. Euseb. praep. 277^{c}. Claudian. in Ruf. I 312. Orosius I 2,$_{21}$. Procopius Goth. IV p. 469^{18} Dind. Rav. IV 2. Zonaras 15,$_{1}$. Ubi Alanorum pars remanens sedes habuerit optime colliges ex Tab. Peut., in qua supra Lazos et Heniochos nomen Alanorum inscriptum invenies. Ravennas l. c: *desuper iam dictas patrias* (Lazia et Abasgia) *ad partem septentrionalem ponitur patria quae dicitur Alanorum.* Sidonius l. c. *ad Caucasigenas Halanos.* Procop. l. c. ταύτην δὲ τὴν χώραν, ἣ ἐξ ὄρους τοῦ Καυκασίου ἄχρι ἐς τὰς Κασπίας κατατείνει πύλας (de his portis cf. s. Hiber) Ἀλανοὶ ἔχουσιν, αὐτονόμον ἔθνος, οἳ δὴ καὶ τοῖς Πέρσαις τὰ πολλὰ ξυμμαχοῦσι ἐπί τε Ῥωμαίους καὶ ἄλλους πολεμίους στρατεύουσι. Migrans pars gentis Valerii aetate iam ad Istrum pervenerat; cf. Seneca l. c. Plin. l. c. Ad Istrum inferiorem diu manebant, donec in migratione gentium coniuncti cum Vandalis usque in Hispaniam et Africam pervenerunt. Utram

der neue Name Alanen seit der Mitte des ersten Jahrhunderts nach Chr., offenbar von Vorderasien aus, römischen und griechischen Schriftstellern geläufig wird.

partem Valerius dicat facile vides: coniungit eos cum Heniochis qui ad Caucasum incolunt, eodem modo ac Tabula Peutingeriana. Omnino ordo nominum non tam contemnendus est quam nonnulli dixerunt velut Peters p. 73: „Valerius autem, utut sibi placuit, nomina populorum catalogo suo inseruit nulla ratione habita ordinis regionum, in quibus incolebant". Ordo saepe neglegitur, saepius bene servatus est.

Alazon. Alazon fluvius ex Caucasi meridionali parte ortus influit in Cyrum Albaniae fluvium, Strab. p. 500. 502. Plin. VI 29. Ptol. V 12,3. Adhuc antiquo nomine vocatur Alasan. Hic fluvius sine dubio iam Pompei expeditione cognitus est. Videtur et genti nomen dedisse, excerpt. Lat. Barb. p. 204^{16} Frick: *Hi contra orientem habitaverunt, Elam unde Elimaei, et Asur unde Assyrii, et Arfurad, unde Chaldaei, et Lud unde Alazonii.* Ab hac gente discernendi sunt Alazonii Scythica gens ad Tyram et Borysthenem sita, Strab. p. 550. Herod. IV 17. 52. Paus. I $32_{,1}$. Steph. B. Ἀλαζών.

Albana porta [1]). (III 495 ss). Albani ad eam partem Caucasi incolunt quae ad orientem vergit, neque unquam sedes mutaverunt. Quatenus fines eorum porrigerentur non uno tempore compertum est. Pompeii et Antonii expeditionibus a meridie factis pars meridiem versus sita detecta est usque ad summum Caucasi montis iugum. Neque Pompeius neque Antonii legati Caucasum superaverunt. Itaque eis descriptionibus quae ab illorum rebus gestis pendent, docemur Albanos Caucaso tenus porrigi. Strabo p. 501 Ἀλβανοί ..... οἰκοῦσι δὲ μεταξὺ τῶν Ἰβήρων καὶ τῆς Κασπίας θαλάττης, πρὸς ἕω μὲν ἁπτόμενοι τῆς θαλάττης, πρὸς δύσιν δὲ ὁμοροῦντες τοῖς Ἴβηρσι τῶν δὲ λοιπῶν πλευρῶν τὸ μὲν βόρειον φρουρεῖται τοῖς Καυκασίοις ὄρεσι. Plut. Ant. 34 καὶ γὰρ Σόσσιος Ἀντωνίου στρατηγὸς ἐν Συρίᾳ πολλὰ διεπράττετο, καὶ Κανίδιος ἀπολειφθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ περὶ Ἀρμενίαν τούτους τε νικῶν καὶ τοὺς Ἰβήρων καὶ Ἀλβανῶν βασιλέας ἄχρι τοῦ Καυκάσου προῆλθεν. Florus I 40 *„Pompeius .... pepercit Albanis; regem horum Oroden positis sub ipso Caucaso castris iussit in plana descendere"*. Tum demum imperantibus principibus cognitum est clivum borealem quoque Caucasi ab Albanis teneri, angustiasque quasdam in hoc monte, quae antea incognitae erant,

1) cf. Forbigeri Vol. II p. 55.

gentis nomine portas Albanicas appellaverunt. Ptol. V 12, 2 ἡ Ἀλβανία περιορίζεται ἀπὸ μὲν ἄρκτων τῷ ἐκτεθειμένῳ μέρει τῆς Σαρματίας. Plin. VI 38 *Ab introitu dextra mucronem ipsium faucium* (Caspii maris) *tenent Udini Scytharum populus. Dein per oram Albani, ut ferunt ab Jasone orti, ante quos quod mare est Albanum nominatur. Haec gens superfusa montibus Caucasiis ad Cyrum amnem, Armeniae confinium atque Hiberiae, descendit ut dictum est.* Reliquos huius gentis fines optime delineatos invenies apud Ptol. V 12, 1. Idem Ptolemaeus Albanas portas in Caucaso describit, 80^0 long. 47^0 lat. Hae portae primum, opinor, appellantur aetate Neronis, Tac. hist. I 6 *multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia et Illyrico, quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat, ... revocaverat.* Nominatim portae Albanae hoc loco non appellantur, tamen conferentem quae sub voce Hiber de Caspiis claustris quaesivi non fugiet veri simillimum esse Neronem Albanos portas, quamquam non accurate, novisse. Augusti aetate nondum notae erant; igitur inter Augusti et Neronis regna innotuerunt, et non multo ante Neronem, cum de nomine nondum constaret. Valerius cum hoc nomine nullo vitio commisso utatur monemur ut auctorem quam proxime ad Valerii aetatem admoveamus.

Amanus (I 493). In ore poetarum Amanus mons Ciliciae numquam fuit, neque ex usu poetarum Valerius tigres ibi habitare narrat; reliqui poetae tigres Hyrcaniae adscribunt. De rebus in Amano gestis nihil narratur apud scriptores, neque verisimile est Valerium hunc montem ex rerum scriptore petisse. Videtur poeta, qui multa nova nomina in carmen suum recepit, consulto Amanum ex geographico auctore recepisse, ut pro tritis nominibus novum induceret. In Amano tigres habitare apud nullum scriptorem inveni; tamen, quantum ego historiam animalium perspicere possum, non nego poetam id apud bonos auctores invenire potuisse: veri autem similius mihi videtur rem translatam esse.

Amastris (VI 554). Non recte Meynckius in dissertatione sua p. 55 sic disputat: „nec minus probabile est eum in utroque versu III 145 et VI 554 aut Amastrum aut Amastrin scripsisse. Ceterum apud Graecos scriptores et Μόναισος et Μοναίσης, sed sola Ἄμηστρις forma invenitur [1]). Nihilo minus Vergilius in Aen.

1) Minus verum hoc est, nam Ἄμηστρις nomen feminae est, et

l. XI 673 Amastrum dixit. Cuius auctoritas quam Valerius etiam in talibus minutiis sequi solet me movet ut etiam in Argon. VI 554 Belgicum librum servasse credam id quod verum est". Fugit Meynckium non eundem hominem significari, Amastris Scythes, Amastrus Cyzicenus est. Igitur Vaticanus servavit id quod verum est, et Valerius alterum nomen ex Vergilio desumpsit alterum ex nomine oppidi Paphlagoniae finxit.

Amazones [1]) (VI 372). Antiquissimis temporibus Amazones ad Thermodontem fluvium incolere putabant, velut Herod I 27 ἔστι δὲ ἡμῖν ἔργον εὖ ἔχον καὶ ἐς Ἀμαζονίδας τὰς ἀπὸ Θερμώδοντος ποταμοῦ ἐσβαλούσας κοτὲ ἐς γῆν τὴν Ἀττικήν. Quae regio postquam notior facta est Amazones in obscuriores regiones remotae sunt. Cuius rei primum vestigium invenimus in epitaphio Demosthenis § 6 καὶ γὰρ τὸν Ἀμαζόνων στρατὸν ἐλθόντ' ἐκράτησαν οὕτως ὥστε ἔξω Φάσιδος ἐκβαλεῖν. Novas firmiores sedes Theophanes Mytilenaeus eis adtribuit narrans Pompeio in proelio contra Albanos facto cum Amazonibus pugnandum fuisse, Plut. Pomp. 35 [2]). Inde a Theophane Caucasus patria Amazonum per totam antiquitatem erat. Stat. Theb. IV 394: *trans et Amazoniis ululatum Caucason armis.* Mela I 19, 109 *montes . . . . qui altera in Caspium pelagus obversi Ceràuni dicuntur, idem aliubi Taurici, Moschi, Amazonici, Caspii, Coraxici, Caucasii, et aliis aliisve adpositi gentibus ita aliis aliisque dicti nominibus.* Plin. VI 35 *ultra eos plane iam Scythae, Cimmerii, Cissi, Anthi, Georgi, et Amazonum gens. Haec usque ad Caspium et Hyrcanium mare.* Arrian. anab. IV 15, 4 ἔφασκε δὲ ὁ Φαρασμάνης (ὁ Χωρασμίων βασιλεύς) ὅμορος οἰκεῖν τῷ τε Κόλχων γένει καὶ ταῖς γυναιξὶ ταῖς Ἀμαζόσι. Nonnos 40, 24 εἰσὶν Ἀμαζονίδες περὶ Καύκασον, ὁππόθι πολλαί χειροβίης πολὺ μᾶλλον ἀριστεύουσι γυναῖκες Καυκασίδες. Mart. Cap. VI 665. Liber generat. p. 14[13] Fr. Tab. Peut. IX/X. Lactant. in Stat. Theb. III 252. Jordanes Get. VII 51.

———

Ἄμηστρις Persa quem Aeschylus Pers. 320 finxit ab oppido Amastride fictus est. Littera η pro ᾱ posita nos docet auctorem eius Jonem esse, fortasse Hecataeum.

1) Cf. Graefium ap. Pauly-Wiss. p. 1755 s.

2) Cf. K. J. Neumann, Strabons Quellen im XI. Buch, p. 29.

Rav. IV 4. I 12. Ptol. V 9, 19. Zonaras X 4. Tabula Ebstorfiana 4. 7. Duas sedes commixtas invenimus apud Diod. XVII 77, 1. Curt. VI 5, 24. Vib. Seq. s. v. Thermodon. Sub finem antiquitatis Procopius siccus scribit eas plane evanuisse, Goth. IV p. 474[4] τὰ νῦν δὲ οὐδαμῇ τῶν ἀμφὶ τὸ Καυκάσιον ὄρος χωρίων Ἀμαζόνων τις μνήμη ἢ ὄνομα διασώζεται, καίτοι καὶ Στράβωνι καὶ ἄλλοις τισι λόγοι ἀμφ' αὐταῖς πολλοὶ εἴρηνται.

Apparet Valerium Amazones in proelium induxisse quod apud auctorem suum legebat eas finitimas Colchorum esse; eadem de causa eas socias Colchorum, non Scytharum fecit, quod sane fecisset si Iliadem parvam imitatus esset. Sedes Amazonum ad Thermodontem fluvium Valerius non ignorat, IV 602. V 89; sed causa mentionis ea est, quod Argonautarum periplus apud Apollonium Amazones illo loco continet.

Arimaspi [1]) (VI 131). De Arimaspis inde ab Aristea Proconnesio, cuius narrationem Herodotus servavit, nemo quicquam novi attulit, reliqui scriptores omnes ab Herodoto pendent. Herod. IV 13 Ἰσσηδόνων δὲ ὑπεροικέειν Ἀριμασποὺς ἄνδρας μουνοφθάλμους, ὑπὲρ δὲ τούτων τοὺς χρυσοφύλακας γρῦπας, τούτων δὲ τοὺς Ὑπερβορέους κατήκοντας ἐπὶ θάλασσαν. Damast. Sig. fr. 1 (Steph. B. Ὑπερβόρειοι) Δαμάστης δ' ἐν τῷ περὶ ἐθνῶν· ἄνω Σκυθῶν Ἰσσηδόνας οἰκεῖν, τούτων δ' ἀνωτέρω Ἀριμασπούς, ἄνω δὲ Ἀριμασπῶν τὰ Ῥίπαια ὄρη. Lucan. III 281. Plin. VI 50 *ultra sunt Scytharum populi . . . . multitudo populorum innumera et quae cum Parthis ex aequo degat. Celeberrimi eorum Sacae Massagetae Dahae Essedones Astaceae . . . . . Euchatae Cotieri Anthusiani Psacae Arimaspi Antacati etc.* Plin. IV 88 *Maeotae, a quibus lacus nomen accepit, ultimique a tergo eorum Arimaspi. mox Riphaei montes.*

In Arimasparum descriptione vides quo modo Valerius interdum res commisceat. Arimaspas aurum legere inde ab Herodoto III 116 πρὸς δὲ ἄρκτου τῆς Εὐρώπης πολλῷ τι πλεῖστος χρυσὸς φαίνεται ἐών . . . λέγεται δὲ ὑπὲκ τῶν γρυπῶν ἁρπάζειν Ἀριμασποὺς ἄνδρας μουνοφθάλμους inter scriptores constabat neque Valerium fugere potuit. Tamen canit

et ignotis insons, Arimaspe, metallis.

———

1) Cf. Wernickium ap. Pauly-Wiss.

Num Valerius haec de suo proposuit? Minime. Transtulit in Arimaspas quae apud auctorem suum de Satarchis dicta repperit. Mela II 1, 10 *Satarchae auri argentique maximarum pestium ignari vice rerum commercia exercent.* Solin. 85 *Satarchae usu auri argentique damnato in aeternum se a publica avaritia vindicarunt.* Generatim de Scythis Justinus II 7 *aurum et argentum perinde aspernantur ac reliqui mortales adpetunt.* Valerius ipse significat haec de Satarchis scripta se legisse, dicens VI 145

ditant sua mulctra Satarchen,

quibus verbis apertissime hoc inest non aurum Satarchas ditasse. Tales res nos docent chorographiarum auctores νόμιμα βαρβαρικά adhibuisse ut populorum descriptiones amplificarent et ornarent additis mirabilibus. Valerius ipse νόμιμα βαρβαρικά non videtur consuluisse; in chorographia ab eo adhibita permulta eius generis fuisse Plinii et Melae similitudine probatur.

Armenia. Valerius V 166 Armeniam ita commemorat, ut appareat eum auctorem geographicum secutum esse. Uberius hanc rem explicatam invenies s. v. Hiber. Ergo auctor Valerii etiam Armeniam descripsit.

Armes (VI 530). Armes Scythes nomen accepit ab Armenia. Jam Peters p. 70 adn. hanc rem recte observavit, sed non animadvertit quantum fructum ex manibus dimittat dicens: „cum longum esse mihi videatur ducum quoque nomina in disquisitionem vocare satis habeo dixisse, ea maximam partem derivata esse a nominibus terrarum vel fluviorum regionum illarum in quibus nati sunt duces". Quo in enuntiato hoc unum non verum est quod de patria ducum dixit: invenies ducibus patrias origine nominum neglecta datas esse.

Carmeius (V 582). Carmei socii Colchorum nomen non ducendum est a Romana gente satis obscura; cur Vergilius gentes Romanas haud raro admiscuerit in aperto est, Valerio alias res tractanti nomina aliunde petenda erant, i e. ex rebus geographicis. Plin. VI 157 in enumeratione gentium Arabiae haec profert: *oppidum Phoda, ac Minaei a rege Cretae Minoe, ut existimant, originem trahentes quorum Carmei.* Inde minime conligendum est Valerium Arabas socios Colchorum esse finxisse; docemur autem apud Valerii auctorem etiam Arabiae descriptionem fuisse.

Caspius (VI 189). Nomen Caspii Scythae a mari Caspio fictum est.

Caspia claustra (V 124). De portis Caspiis Valerius, id quod nos docet auctorem praestantem fuisse, recte sentit; nam Marti a Massagetis et Medis ad Thermodontem proficiscenti per veras portas Caspias, non per falso ita nominatas in Caucaso monte eundum est; cf. s. v. Hiber. Item versus VI 106 s. docent Valerium veras portas Caspias dicere. Id nobis indicium aetatis auctoris est, nam Plinius dicit portas etiam post expeditionem Corbulonis in Armenia (58—63 p. Chr.) non recte depictas esse. Error [1]) igitur recentissimo tempore correctus est: apud Valerium correctam narrationem legimus: quid inde sequatur apparet. Verae portae Caspiae quamquam Alexandri expeditione innotuerunt tamen apud Romanos scriptores usque ad Plinium non memorantur. Nullum vestigium est Valerium scriptorem rerum gestarum Alexandri in suum usum convertisse. Ex Plinio discimus quam obscurata haec notitia apud Romanos fuerit. Graeci geographi Strabo (p. 522) et Polybius (V 44, 5) vetustioribus Graecis scriptoribus usi hoc Romanorum errore vacaverunt. Jam id indicium aetatis est has portas omnino commemorari; usque ad medium p. C. saeculum primum Romanis illae regiones non curae erant: quae neglegentia Romanorum Neronis aetate bello in Armenia gesto subito excussa est. Ipsis Valerii temporibus istae regiones studio Romanorum in se converso diligentius a geographis tractabantur rectiusque quam a prioribus describebantur.

Caspiadae (VI 107). De forma huius nominis cf. Servium in Aen. I 490 *Amazonidum autem derivatio est pro principalitate, sicut Scipiadas duros bello pro Scipionibus.* Cf. Maeotidas pro Maeotis (Vopisci Aurel. 16, 4. Tac. 13, 3) et Dandaridas pro Dandariis (Tac. ann. XII 15). Leguntur etiam formae Caspiani (Mela I 2, 12) et Caspianae (Tab. Pent. XII 2). Terra eorum Κασπιανή appellatur, Strab. p. 502. Reliqui scriptores utuntur forma quae est Caspii. Forma Caspiadae inde ab Ennio a quolibet poeta Latino facile fingi potuit; similiter Dionysius Periegetes nulla ratione cum Valerio coniunctus Κασπιάδας πύλας finxit, v. 1035. 1064. Quae Valerius VI 107 ss. de Caspiis

1) Siquidem error est, cf. quae s. v. Hiber exposui.

narrat Langenus breviter absolvit dicens: *eos canibus usos esse in bello ipse poeta videtur finxisse.* Tamen Valerium defensurus sum. Strabo p. 502, qui eos cum Albanis confundit credens eos non iam superesse[1]) dicit: θηρευτικοὶ δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολήν, οὐ τέχνῃ μᾶλλον ἢ σπουδῇ τῇ περὶ τοῦτο. Id tamen minus grave est, neque gravius quod Eusebius praep. ev. 11^{d} narrat: Ὑρκανοὶ δὲ καὶ Κάσπιοι, οἱ μὲν οἰωνοῖς καὶ κυσὶ παρέβαλλον ζῶντας (τοὺς γεραιούς), οἱ δέ τεθνεῶτας. Σκύθαι δὲ συγκατώρυττον ζῶντας, καὶ ἐπέσφαττον ταῖς πυραῖς οὓς ἠγάπων οἱ τεθνεῶτες μάλιστα. Καὶ Βάκτριοι δὲ τοῖς κυσὶ παρέβαλλον ζῶντας τοὺς γεγηρακότας. Desperamus ea quae Valerius de Caspiis narrat testimonio aliorum scriptorum probare. Fortasse alia ratione eo venimus quo volumus. Nobilissimi erant canes Hyrcanorum, cf. Plut. de soll. an. 14 ἢ μηδὲ Λυσιμάχῳ τι γεγονέναι φήσει πρὸς τὸν κύνα τὸν Ὑρκανὸν δίκαιον, κ. τ. λ. Jambl. δραματικὸν § 18 Ὑρκανὸς κύων ὁ τοῦ Ῥοδάνους. Lucretius (III 750 s.):

ecfugeret canis Hyrcano de semine saepe
cornigeri incursum cervi.

Sepultura mortuorum dentibus canum, quam Eusebius etiam Caspiis tribuit, solis Hyrcanis tribuitur a Cicerone Tusc. I 45 *in Hyrcania plebs publicos alit canes, optimates domesticos. Nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulcrum.* Idem Plutarchus (an vitiositas ad infelicitatem sufficiat 3), et Silius (XIII 474). Hyrcanorum canes una cum dominis acie contendere tradit Aelianus VII 38 Ὑρκανοῖς καὶ Μάγνησιν οἱ κύνες συνεστρατεύοντο, καὶ ἦν καὶ τοῦτο συμμαχικὸν ἀγαθὸν αὐτοῖς καὶ ἐπικουρικόν. Caspios una cum canibus sepeliri unus Valerius narrat; reliqui auctores tradunt Caspios a canibus sepeliri. Mihi quidem videtur Valerius ab auctore suo nihil aliud accepisse quam nos ab auctoribus quos attuli; sed poetico ingenio adductus foedam illam sepulturam, quae abhorret a polito carmine, mutavit,

1) Ἡ Κασπιανή, τοῦ Κασπίου ἔθνους ἐπώνυμος, οὗπερ καὶ ἡ θάλαττα, ἀφανοῦς ὄντος νυνί. Valerii fidem non tangit Strabo haec recte dicat necne, cum reliqui scriptores Caspios loco exstantium habeant, ut Plin. VI 39. 45. 46. 114. Ptolem. VI 2,$_{5}$.

ita ut canes qui dominorum viventium commilitones erant mortuorum quoque comites meritum honorem acciperent. Cuius meriti magna pars Valerio abiudicanda est quod rem non ipse finxit sed ex Vergilio transtulit, qui VI 657 ss. Aeneam in Orco similem rem admirantem facit:

passimque soluti
per campum pascuntur equi. quae gratia currum
armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.

Albanis singulares canes adtribuuntur a Plinio VIII 149. Vides et de Caspiis et de Hyrcanis idem tradi, apud utrosque canes pugnantium adiutores sunt, apud utrosque sepeliunt mortuos. Duas gentes interdum confusas esse ex paribus moribus colligimus quae eis a scriptoribus adscribuntur. Earum nomina saepe coniuncta pronuntiabantur, quod mari Caspio et nomen Hyrcanium mare erat, cf. Steph. Byz. Κασπία, λέγεται καὶ Ὑρκανία ἡ Κασπία, τινὲς δὲ ταύτας διακρίνουσιν. Facillime igitur duae gentes confundebantur. Quae Valerius tradit non minus fide digna sunt quam quae apud Aelianum legimus, nisi forte praeferenda sunt: nam Hyrcani quamquam saepissime commemorantur et multorum bellorum participes erant tamen de canibus bellicis eorum in nullius pugnae descriptione quicquam legimus: tam nova res erat, ut scriptores eam silentio non praeteriissent: contra Caspiorum virtus cum in agendo numquam visa esset facile evenire potuit ut eorum res in obscuro manerent. Id certe apparet Valerium narrationem suam non ad arbitrium finxisse.

Sedes ad angulum Caspii maris inter occasum solis et meridiem spectans numquam mutaverunt omnesque scriptores idem tradunt, Tab. Peut. XII 2. Mela I, 2,$_{12}$, III 5,$_{39}$. Strabo 502. 506. 514. Dion. Per. 730. Ptolem. VI 2,$_{5.7}$. Plin. VI 39. 114. 217. schol. Ap. Rh. III 859. Florus I 40 (= III 5).

Centores (VI 151) Centorum nomen alibi non invenitur. Ex ordine nominum quae sunt *Exomatae Toryni Satarchae Hypanis Centores Choatrae* certissime colligitur Centores prope Maeotidem habitasse, ut videtur in Asiatica plaga. Gens erat satis ignota et sine dubio parva, quam non ante medium p. Chr. saeculum primum innotuisse neque multo post in obscuritatem relapsam esse veri simile est. Haec quoque gens bello a. 49 gesto innotuisse

videtur. Vides praestantiam auctoris qui tantulas res descripsit quas alii geographi aut non noverunt aut propter ignobilitatem non dignas putabant quae in Scythiae descriptionem reciperentur,

Cessi (VI 130). Coniectura *Cossaei* satis improbabilis pro *Cessaeis* inde nata est quod viri docti gentem Cessorum non noverunt: ab omnibus haec gens ignoratur, nullus situs depictus, nullus liber Cessorum nomen continet; tamen probari potest eos fuisse et quibus regionibus sedes habuerint. Non casu accidit quod omnes auctores qui Cessorum nomen nobis servaverunt primi post C. saeculi sunt (nam Tabula Pentingeriana quoque ab illa aetate repetitur). Mela II 1,13: *super Caspium sinum Comari Massagetae Cadusi Hyrcani Hiberi, super Amazonas et Hyperboreos Cimmerii Cissi* [1] *Anthi Achaei* etc. Plin. VI 35 *Hyperborei Arimphaei .... ultra eos plane iam Scythae, Cimmerii, Cissi, Anthi, Georgi, et Amazonum gens. Haec usque ad Caspium et Hyrcanium mare.* Plin. VI 20 ss. de populis supra Pontum et Caucasum sitis haec dicit: *„Sunt qui circa Maeotim ad Ceraunios montes has tradant gentes: a litore Napitas supraque Essedones Colchis iunctos montium cacuminibus; dein Camacas, Oranos, Antacas, Mazacasos, Cantiocas, Agamathas, Picos, Rimosalos, Acascomareos et ad iuga Caucasi Jtacalas, Imadochos, Ramos, Anclacas, Tydios, Carastaseos, Anthiandas, Lagoum amnem ex montibus Catheis in quem defluat Opharus, ibi gentes Canthadas, Opharitas, amnes Menontharum, Imithyen ex montibus Cissiis.* Hos Cissios montes Müllenhoffius quoque novit, III p. 62 adn., negat autem coniectura illa captus eos cum Cessis coniungendos esse. Sententia mea optime firmatur Tabula Peutingeriana, quae benigno casu nomen Cessorum nobis servavit: in Caucasi parte occidentali a parte orientali Heniochorum supra urbem quandam Phamacorium legimus nomen *Chisoe.* His omnibus locis firmatur Cessos fuisse. Incolebant clivum septentrionalem Caucasi. Id quod protuli iam Schraderum suspicatum esse opinor; nam in Hermae vol. II p. 142 legimus coniecturam eius *Cissaeaeque manus,* quam recipi necesse est. Cf. s. v. Cimmerii.

Noli confundere cum his Cissiis incolas oppidi Cissae ad litus

---

1) Editores et hic et apud Plinium per errorem scribunt Cisianthi. cf. Schweder: Beiträge zur Kritik der Chorographie des Augustus Partis alterius p. 4 ss. 9. 23. 65.

Ponti non multum a Trapezunte orientem versus sitae, Tab. Peut. X 4. Guido 102. Rav. II 17. Ptol. V, 6,6 incolas appellat Κίσσιοι, et prope oppidum flumen Κίσσας adnotat.

Choaspes (V, 602). Nomen Choaspis socii Colchorum a fluvio illo Persiae desumptum est ad quem Susa sita sunt, Herod. I 188. V 49. 52. Curt. V 2,9. Avienus 1273. Ravennas II 12. Strabo 697. Plin. VI 130. XXXI 35. Ex Valerio Silius III 317 hoc nomen mutuatus est. Item apud Suidam nomen virile Choaspes legimus.

Choatrae (VI, 151). Ex ordine nominum apud Valerium — *Exomatae Toryni Satarchae Hypanis Centores Choatrae* — apparet eos prope Maeotidem non procul ab Hypanis ostio fuisse. Optime congruit cum his v. VI 154, qui eos ad Maeotidem incolere significat. Praeter Valerium solus Lucanus eos commemorat, Plinium VI 19 Choatras dicere non recte coniectum est. Lucan. III 246

venere feroces
Cappadoces, duri populus non cultor Amani
Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten
Aethera tangentis silvas liquere Cohatrae.

Lucani minime interest fidem historicam servari, ut iam s. v. Alani exposui; velut Gangaridas in exercitu Pompei enumerat. Vidimus eum res geographicas quas ipsius aetate assecuti erant viri docti, in priorem aetatem quasi importare, ut novis nominibus se iactaret. Plane eodem modo Choatras inducit. Licet nobis inde coniecturam facere de aetate auctoris quo Valerius usus sit. Silvas aethera tangentes a Lucano fictas esse non puto; firmatur inde quae de sede Choatrarum diximus, nam praeter Hylaeam et Caucasum nulla regio Scythiae silvas tulit. Miserum scholion ad hunc Lucani locum descriptum est ex Verg. Ge. II 123. Langenus et Müllenhoffius (III p. 62 adn.) montem Choatram in Parthia situm (Plin. V 98) et fluvium Parthiae Choatrem (Amm. XXIII 6,43) cum hac gente coniungere volunt; addo Parachoatrem montem (Strab. 511. 514. 522. 527); sed quamvis sit mira haec similitudo nominum tamen non est cur certis indiciis neglectis in illas regiones nos conferamus. Etiam in Ponticis regionibus non pauca similia nomina reperies, si Inscriptionum Ponti Euxini quas Latyschew edidit indices perlustrare velis. Tanais No: 430 et 445

invenies nomen quod est Χορόαθος vel Χορούαθος, inter quod et Choatrarum gentem fortasse cognatio quaedam intercedit, ut de gente Rhoxolanorum fictum nomen proprium Ῥευσίναλος legimus, Panticapaeum No. 86. A Tanai oppido Choatrae non ita longe aberant. Valerius num huic genti artes magicas recte tribuerit incertum est, equidem cum tot res transtulerit Valerius valde dubito. Tamen non nego fieri potuisse ut apud auctorem similia invenerit. Quae de duce finxit ex Verg. Aen. VII 750 ss. desumpsit Valerius, neque abest suspicio ab eo in gentem universam extensa esse quo maiorem fidem haberent.

Cimmerii (VI 61). Mirum videtur a Valerio Cimmerios ut gentem illa aetate exstantem afferri; vulgo creditur Cimmerios ex Ponticis regionibus expulsos esse et deinde omnino evanuisse. Inter omnes constat aetate pervetusta Cimmeriorum gentem ad Maeotidem fuisse [1]), deinde a Scythis expulsam longe lateque Asiam infestasse. Herod. IV 11. Strab. 494. Herod. IV 12. VII 20. I 103. IV 1. Plut. Marius 11. Strab. 648 (Callini fr. 3) 61. 573. Callini fr. 5. St. B. Ἄντανδρος (= Plin. V 123) Strab. 20. 627. Polyaen. VII 2. Herod. I 6. 15. 16. Suid. Γύγης. Unum igitur vestigium Cimmeriorum in Ponticis regionibus nonnulla locorum nomina erant. Poetas nonnullos Cimmerios interdum commemorare nullius momenti est. Adscribamusne Valerium his poetis? Minime. Veri et docti geographi Cimmeriis etiam ea aetate qua ipsi erant sedes non longe a Ponto Euxino dederunt, paulo remotiores quam antea habuerant. Non mirum est hos novos Cimmerios una cum Amazonibus commemorari, nam sors eadem erat: utrisque in remotiores regiones migrandum erat prout cognitio terrarum circa Pontum Euxinum sitarum augebatur. Hoc quoque loco monendum est Valerium cum auctoribus suae aetatis congruere. Mela I 2,13: *Super Amazonas et Hyperboreos Cimmerii, Cissi, Anthi, Achaei, Georgili, Moschi, Cercetae, Phoristae, Rimphaces.* Plin. VI 35 *Ripaei montes ..... Arimphaei .'.. Hyperborei .... ultra eos plane iam Scythae Cimmerii, Cissi, Anthi, Georgi, et Amazonum gens. Haec usque ad Caspium et Hyrcanium mare.* Inde Solin. 88 *Hyperboreis similes dicunt Arimphaeos ... ultra hos Cimmerii et gens Amazonum porrecta ad Caspium mare,* et Mart. Cap. VI 665 *Arimphaei .... ultra hos Cimmerii et Amazones ad Caspium mare.*

1) Hanc rem Müllenhoffius III p. 19ss. infringere non potest. cf. Wilamowitz, Homerische Untersuchungen p. 165—168.

Ex his descriptionibus colligendum est Cimmerios supra medium Caucasum vel paulo inde ad orientem vergentes incoluisse. Non neglegendum est apud Melam et Plinium Cimmerios Cissosque una describi: inde certissime apparet etiam in Valerii exemplari Cimmerios Cissosque eodem modo coniunctos descriptos fuisse. Melae Plinii Valerii auctores aliquo modo inter se cohaerere ex talibus rebus manifeste apparet; neque minus manifeste ex hac de Valerio quaestione apparet hunc communem auctorem, si rem universam spectas, Augusti chorographiam non fuisse, quamquam non nego multa ex illa chorographia in Melae et Plinii libros transisse.

Cyris (VI 80). Cyris Scythes nomen accepit a nomine proprio Graeco Κῦρις, nisi, quod admodum veri simile est, Cyrus fluvius Albaniae notissimus subest. Solis filius Cyris prorsus ignotus, et sine dubio a Valerio fictus est. Causam cur id fecerit iam Burmannus recte cognovit. Antiquis notum fuit nomen Cyri regis Persarum lingua Persica idem valere ac Solem. Plut. Artax. c. 1: ὁ μὲν οὖν Κῦρος ὑπὸ Κύρου τοῦ παλαιοῦ τοὔνομα ἔσχεν, ἐκείνῳ δὲ ἀπὸ τοῦ Ἡλίου γενέσθαι φασί. Κῦρον γὰρ καλεῖν Πέρσας τὸν ἥλιον. Et. M. 530, 13 Κόρος· ὁ βασιλεὺς τῶν Περσῶν, ὁ παλαιός· ἡλίου γὰρ ἔχει τὸ ὄνομα. κοῦρον γὰρ καλεῖν εἰώθασιν οἱ Πέρσαι τὸν ἥλιον. Hesych. Κῦρος· ἀπὸ τοῦ ὑπὸ κυνὸς τετράφθαι· ἢ ἀπὸ τοῦ ἡλίου, τὸν γὰρ ἥλιον οἱ Πέρσαι κῦρον λέγουσιν. Valerius unde id sumpserit difficile ad discernendum est.

Cyrnus (VI 297). Cyrnus Colchus a fluvio Cyrno Colchidi propinquo nominatus est. Ille fluvius in rebus a Pompeio gestis saepius commemoratur Dio 36, 53 καὶ αὐτὸς (Pompeius) ἔν τε τῇ χώρᾳ τῇ Ἀναΐτιδι καὶ πρὸς τῷ ποταμῷ Κύρνῳ τριχῇ νείμας τὸν στρατὸν παρεχείμασε. 54 Ὀροίσης γὰρ Ἀλβανῶν τῶν ὑπὲρ τοῦ Κύρνου οἰκούντων βασιλεύς. 37, 1 Ἴβηρες . . . . . νέμονται δ' ἐπ' ἀμφότερα τοῦ Κύρνου, τῇ μὲν τοῖς Ἀλβανοῖς, τῇ δὲ τοῖς Ἀρμενίοις πρόσοροι. 3 καὶ τόν τε Κύρνον, ἣ πορεύσιμος ὑπὸ τοῦ θέρους ἐγεγόνει, πεζῇ διέβη. Appian. Mithr. 103 Ὀροίζης δ' ὁ τῶν Ἀλβανῶν βασιλεὺς καὶ Ἀρτώκης ὁ Ἰβήρων ἑπτὰ μυ-

ριάσιν ἐλόχων ἀμφὶ τὸν Κύρνον ποταμὸν, ὃς δώδεκα στόμασι πλωτοῖς εἰς τὴν Κασπίαν θάλασσαν ἐρεύγεται, πολλῶν ἐς αὐτὸν ἐμβαλόντων ποταμῶν καὶ μεγίστου πάντων Ἀράξου. Plut. Pomp. 34 s. διαβάντες τὸν Κύρνον ποταμὸν, ὃς ἐκ τῶν Ἰβηρικῶν ὀρῶν ἀνιστάμενος καὶ δεχόμενος κατιόντα τὸν Ἀράξην ἀπ' Ἀρμενίας ἐξίησι δώδεκα εἰς τὸ Κάσπιον. 35 Ἀλβανοὶ δὲ αὖθις ἀφεστῶτες αὐτῷ προσηγγέλθησαν. Πρὸς οὓς ὑπ' ὀργῆς καὶ φιλονεικίας ἐπιστρέψας τόν τε Κύρνον μόλις καὶ παραβόλως πάλιν διεπέρασεν ἐπὶ πολὺ σταυροῖς ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἀποκεχαρακωμένον. Hunc fluvium a geographis receptum esse consentaneum est. Idem vulgo Κῦρος appellatur; Ptol. V 12, 2 complures codices [1]). Κύῤῥος exhibent nomen, fortasse rectum et comparandum cum Κύρνος.

Minus probabile est Valerium in hoc nomine fingendo de Cyrno oppido Cariae (Diod. V 60) aut de Graeco nomine insulae Corsicae cogitasse. Fuit etiam humanum nomen Κύρνος apud Graecos Valerioque ex Theognide notum erat; sed cum de Colcho agatur barbara origo nominis longe praeferenda est.

Dahae (II 157). Non dubito, quin auctor Valerii Dahas descripserit; tamen Valerius II 157 Dahas ita affert ut statim appareat eum hanc gentem non ab auctore geographico sumpsisse. Legebat Dahas apud aliquem poetam, ut videtur Verg. Aen. VIII 728, et epitheton indomitorum, quod Vergilius eis tribuit, uberius sic depinxit:

adde cruentis
quod patrium saevire Dahis.

Cum ex Vergilio non appareat ubi sedes habeant coniecit esse Thracas. Vides quanta Valerii scientia rerum geographicarum fuerit ubi auctorem suum non consuluit. Poetam omnino Scytharum et Thracum gentes in unum confudisse Langeno non concedo.

Daraps (VI 66). Daraps Scythes nomen accepit ab urbe Bactriae Darapsa, quae hodie Anderab appellatur. Strabo p. 516 πόλεις δ' εἶχον τά τε Βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριάσπαν καλοῦσι, ἣν διαῤῥεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς ἐκβάλλων εἰς τὸν Ὦξον καὶ Δάραψα

1) Ukert Geographie der Griechen und Römer III² p. 230; Nobbe in indice.

καὶ ἄλλας πλείους. De forma nominis dubitant et codices et editores. Res diiudicatur Stephani Byzantii testimonio: Δάραψα, πόλις Βακτρίας, ὡς Στράβων. τὸ ἐθνικὸν Δαραψηνὸς καὶ Δαραψιανός. Valerium vere de regione illa regni Persarum cogitasse videmus ex conexu nominum: *Datin* (nomen Persicum!) *Achaemeniae* (Persicae!) *gravior de vulnere pugnae* || *misit in arma Daraps* (Bactriae oppidum!), *acies quem Martia circum* || *Gangaridum* (gens Indiae!). Valerius hisce nominibus brevem excursionem in remotissimas regiones orientis facit: vs. 65 regiones Ponticas deserit, vs. 67 eo revertit.

Drangae (VI 106). Drangarum sedes omnium scriptorum testimonio in Aria ad illum lacum sunt quem hodie Hamun appellamus, Strab. 723 s., Ptol. VI 19, 1. Justin. 12, 5. 9. 13, 4. 22. Plin. VI 61, 94. Haec gens remotissima nullo modo in Sallustii situ Ponti descripta esse potuit. Eorum qui Gangaridas coniecturis expellebant fuit ut etiam Drangas paulo minus remotos tollerent. Opinio Valerii geographiam ex Sallustii situ Ponti haustam esse inde tantum nasci potuit, quod viri docti putabant gentes a Valerio carmini suo intextas non ita longe a Ponto sitas esse; quae opinio stare iam non potest postquam demonstratum est gentes ab illo auctore descriptas fuisse quibus cum Ponto et Mithradatico bello omnino nulla res est.

Emoda (VI 143). Traditur Emeda, de quo nomine nihil enucleare potui. Coniecturam sine ulla dubitatione veram *Emoda* Langenus respuit dicens: *prorsus non probabile Valerium de Emodo vel Emodis montibus Indiae mentionem hoc loco fecisse.* De hac re iam verba feci. Minime improbabilis est haec facillima correctio, quoniam Gangarides multo longinquiores sunt. Emodus mons (= Imaus = Himavat = Himalaya) non ex conspectu veterum remotus erat; non erat ipse Himalaya mons, sed ea pars quae inter hunc montem et Paropanisum iacet, quam nos dicimus Pamir. Plin. V 98. VI 60. Anon. geogr. comp. 28. Eusth. ad Dion. Per. 747 Oxum inde nascentem facit. Ne poetis quidem ignotus erat, cf. Verg. Aen. X 424 (v. p. 12). Nonnum 40, 260. Avien. 926. Plin. VI 56. 88. Diod. 2, 35. Ampelium VI 6. Amm. XXIII 6, 7. 13, 14. 64. Suidam Ἠμωδόν. Videmus Valerium catalogum suum angustis finibus circumscribere noluisse.

Exomatae (VI 144). Exomatarum gens antiquitus nota erat.

Forma nominis variatur apud scriptores; Hecat. fr. 166 Ἰξιβάται (apud St. B Ἰξιβάται), Ephorus (apud St. B Ἰαζαβάται, Scymnum 880, inde Anon. per. 45) Demetrius Call. fr. 1 (apud Scymn. 879) Ptol. V 9, 15 Ἰαξαμάται, Mela I 19, 114 Jaxamatae, Polyaen. VIII 55 Ἰξομάται, Amm. XXII 8, 31 Jaxamatae (v. l. Ixomatae), Et. M. s. v. Ἡρακλῆς Ἰξιβάτης. Valerius sine dubio formam bene servavit, praesertim cum Polyaenus et fortasse Ammianus eadem fere forma utantur[1]). De situ Exomatorum non convenit inter scriptores. Mela et Ptolemaeus eos ad Tanais ostium australe ponunt, Valerius ad Hypanim (quem hodie Kuban vocamus) itemque Hecataeus dicens Ἰξιβάται ἔθνος πρὸς τῷ Πόντῳ προσεχὲς τῇ Σινδικῇ. Utros sequendum sit dicere non audeo; Hecataei testimonio probatur illud quod apud Valerium legimus non ab ipso inventum esse. Videmus autem Valerii et Melae auctorem non eundem esse. Audacissime Müllenhoffius (III p. 39) coniecit ex Jaxamatis Jazyges ortos esse; similitudo nominum non ita magna non sufficit ut tale statuamus; eodem iure contendas Jazyges ex Zygis ortos esse, quos Diodorus 40, 4 Ἰοζυγοὺς appellat. Similitudo evanescit cogitanti formam nominis quae ξ continet multo melius traditam esse quam quae ζ, nisi forte illa forma una vera est. Müllenh. p. 115. 117.

Minus fide digna sunt quae Valerius de Exomatarum vita tradit: genti venatu viventi Exomatarum fines angusti sunt, neque umquam talis gens equis pollet. Exomatarum fines quos Valerius describit equitibus parum apti sunt, v. situm depictum in inscriptionum Ponti Euxini volumine. Exomatas venatu vivere transtulit ab aliis in chorographia sua descriptis gentibus, haud scio an a Thyssagetis, de quibus Herod. IV 22: Θυσσαγέται ἔθνος πολλὸν καὶ ἴδιον. ζῶσι δὲ ἀπὸ θήρης. συνεχὲς δὲ τούτοισι ἐν τοῖσι αὐτοῖσι τόποισι κατοικημένοι εἰσὶ τοῖσι οὔνομα κέεται Ἰύρκαι, καὶ οὗτοι ἀπὸ θήρης ζῶντες. Originem clarorum equorum aliam esse vix putem.

Gangarides (VI 67). Multa magis minusve probabilia coniecta sunt a viris doctis ut Gangaridae ex Valerii catalogo tolle-

1) Haec forma Latina et ex ea quae est *Jaxamatae* videtur formata esse; nam in ore Latinorum vocalis a ante labialem facile in o abit. Cf. Schuchardt (Vocalismus des Vulgärlateins) I p. 173 s.

rentur, quippe qui remotiores sint. Quae tamen omnia stare non possunt, neque commoror his coniecturis tractandis. Satis de ea re dixi s. vv. *Daraps Drangae Emoda.* Non ignoti erant Gangarides poetis: velut Lucanus III 230 eos in catalogo sociorum Pompei enumerat. Silentio praetereundum non est Gangaridas apud Vergilium semel reperiri, Ge. III 27, et eodem loco versus eademque forma atque apud Valerium: hanc formam Servius ita explicat: *Gangaridum vero pro Gangaridarum posuit quia hic Gangarida facit.*

Gelas (VI 208). Gelas Scythes nomen certe non accepit a rivulo Siciliae qui est Γέλας ad quem urbs Gela sita erat. Nomen fictum est a populo Gelarum, qui Albanorum finitimi Pompei expeditione innotuerunt. Plut. Pomp. 35 νέμονται δὲ (οἱ Ἀμάζονες) τοῦ Καυκάσου τὰ καθήκοντα πρὸς τὴν Ὑρκανίαν θάλασσαν οὐχ ὁμοροῦσαι τοῖς Ἀλβανοῖς· ἀλλὰ Γέλαι καὶ Λῆγες οἰκοῦσι διὰ μέσου. cf. Theoph. Myt. fr. 3 apud Strabon. p. 503, Ravennatem II 9, Zon. X 4. Strabon. p. 508. 510. Ptol. VI 2, 5. Gelae igitur finitimi Amazonum erant: inde firmatur sententia mea etiam Amazones ex auctore geographico esse.

Heniochi (VI 43). Heniochi antiquitus saepissime commemorantur propter feritatem; itaque truces Valerio non poetico more ut gens barbara vocantur, sed ex auctore epitheton desumptum est. De asperitate Heniochorum multa ferebantur. Arist. Pol. VIII 3, 4 πολλὰ δὲ ἐστὶ τῶν ἐθνῶν ἃ πρὸς τὸ κτείνειν καὶ πρὸς τὴν ἀνθρωποφαγίαν εὐχερῶς ἔχει, καθάπερ τῶν περὶ τὸν Πόντων Ἀχαιοί τε καὶ Ἡνίοχοι. Ovid. ex P. IV 10, 26 *Heniochae nautis plus nocuere rates.* Heracl. de rebus publ. 18 Φᾶσιν τὸ ἐξ ἀρχῆς Ἡνίοχοι κατῴκουν, φῦλον ἀνθρωποφάγον καὶ ἐκδεῖρον τοὺς ἀνθρώπους. Diod. XX 25 ὑπὲρ δὲ τῶν πλεόντων τὸν Πόντον πόλεμον ἐξενέγκας πρὸς τοὺς λῃστεύειν εἰωθότας βαρβάρους Ἡνιόχους καὶ Ταύρους, ἔτι δ' Ἀχαιούς, καθαρὰν λῃστῶν ἀπέδειξε τὴν θάλατταν. Avien. 871 *iuxta gens aspera degit || Heniochi.* Strabo p. 839 narrat Romanos omni litori Ponti imperare εἰ μή τις τὰ τῶν Ἀχαιῶν καὶ Ζυγῶν καὶ Ἡνιόχων ἐν λόγῳ τίθεται, λῃστρικῶς καὶ νομαδικῶς ζώντων ἐν στενοῖς καὶ λυπροῖς χωρίοις. Heniochi sedes numquam mutaverunt neque ambigunt scriptores de ea re: a sedibus eorum tantundem fere viae est et ad Bosporum Cimmerium et ad Phasidem. Optime cum his con-

sentit Valerius enumerans Heniochos una cum Alanis qui Caucaso monte disiuncti finitimi eorum a septentrione sunt. Forma nominis Graeca est; ducuntur Heniochi ab aurigis Castoris et Pollucis; vera forma videtur Εἰνάχιοι fuisse, J. P. E. Panticapaeum 38.

Henioche (V 357). Recte Langenus hoc nomen servile ducit a gente Heniochorum, quamquam alia notione etiam alibi legitur, Hesiod. scut. 83. Plut. Thes. 25, Hellanici fr. 10. CIL IX 2402.

Hiber. Miror Thilonem et Langenum quod censent Hiberum V 166 esse fluvium, quamquam iam Wagnerus recte vidit esse gentem. Hiberos finitimos Armeniorum esse multis locis sole clarius apparet, Tac. ann. VI 39. Plin. VI 27. 216. Ptol. V 11, 1. 12, 3. Cassii Dion. 37, 1. Amm. XXVII 12, 17. Sol. 93. Concedo illis finem fluvium esse, sed appellatur hic fluvius Cyrus, non Hiber. Ptol. V 12, 3 . . εἰς τὸν Κῦρον ἐμβάλλοντες, ὃς καθ' ὅλην τήν τε Ἰβηρίαν καὶ τὴν Ἀλβανίαν ῥεῖ, διορίζων τὴν Ἀρμενίαν ἀπ' αὐτῶν. Quamquam satis mire de populo dictum est omnem Hiberum horruisse, tamen necesse est, ut illo loco gentem significari intelligamus flumenque Hiber omnino nullum est. Praeter hunc ut vides recte descriptum situm Valerius tria de Hiberis eloquitur. Primum (V 601) Hibera claustra novit. Plin. VI 40 de his portis haec profert: *corrigendus est in hoc loco error multorum etiam qui in Armenia res proxime cum Corbulone gessere. Namque hi Caspias appellavere portas Hiberiae, quas Caucasius diximus vocari situsque depicti et inde missi hoc nomen inscriptum habent. Et Neronis principis comminatio ad Caspias portàs tendere dicebatur, cum peteret illas quae per Hiberiam in Sarmatas tendunt, vix ullo propter oppositos montes aditu ad Caspium mare* [1]). Non contigit Plinio ut hanc appellationem exstirparet;

1) Licet quaerere num Plinius iure Romanos erroris insimulet; habemus enim testimonium quod nos docet Romanos ab illarum regionum incolis Caspiarum portarum nomen eadem significatione accepisse qua ipsi postea usi sunt; Kaibel, epigr. Gr. No. 549, v. 1—4

Ὁ κλεινὸς Ἶνις βασιλέως Ἀμάζασπος,
ὁ Μιθριδάτου βασιλέως κασίγνητος
ᾧ γαῖα πατρ[ὶ]ς Κασπίας παρὰ κλή[θ]ρας

velut Procop. Pers. I p. 57[1] Dind. recte describit falso nomine usus Ἴβηρες, οἳ ἐν τῇ Ἀσίᾳ οἰκοῦσι, πρὸς αὐταῖς που ταῖς Κασπίαις ἵδρυνται πύλαις αἵπερ αὐτοῖς εἰσι πρὸς βορρᾶν ἄνεμου. Etiam Tacitus hist. I 6 falsae opinioni deditus est: *quos idem Nero electos praemissosque ad claustra Caspiarum et bellum quod in Albanos parabat, ... revocaverat.* Ex Hiberiae portarum mentione de aetate auctoris idem concludere licet quod ex Albanarum.

Deinde Valerius VI 120 Hiberiam discolorem appellat. Id ad habitum gentis referendum est, quem neque proprium Hiberorum neque unum fuisse Strabo tradit, p. 500 τὸν μὲν οὖν πεδίον τῶν Ἰβήρων οἱ γεωργικώτεροι καὶ πρὸς εἰρήνην νενευκότες οἰκοῦσι Ἀρμενιστί τε καὶ Μηδιστὶ ἐσκευασμένοι, τήν τε ὀρεινὴν οἱ πλείους καὶ μάχιμοι κατέχουσι Σκυθῶν δίκην ζῶντες καὶ Σαρματῶν, ὧνπερ καὶ ὅμοροι καὶ συγγενεῖς εἰσιν. Scytharum et Sarmatarum cognatio sufficit ut gens Hiberorum discolor appellari possit. Praeterea gentem tot diversarum gentium ritu armatam et vestitam acie instructam horridum spectaculum praebere apparet. Auctor Valerii hoc loco sine dubio usus est narratione alicuius hominis qui in exercitu Pompei militans Hiberorum aciem vidit.

Tum Valerius narrat eos equites fuisse. Id quoque in Mithradaticis tradebatur, cf. Reinach. p. 340. Idem colligi potest ex Strabone p. 502 στέλλουσι δὲ (Albani) μείζω τῆς Ἰβήρων στρατιάν· ὁπλίζουσι γὰρ καὶ ἓξ μυριάδας πεζῶν, ἱππέας δὲ μυρίους καὶ δισχιλίους, ὅσοις πρὸς Πομπήιον διεκινδύνευσαν.

Hyrcani. Hyrcani in catalogo bis inveniuntur, VI 79 et 114; inde non cum Langeno coniciendum est alterum locum corruptum esse; est ex iis locis, quibus ne ultimam limam adhiberet

Ἴβηρ Ἴβηρος ἐνθαδὶ τετάρχυται κ. τ. λ.

Cecidit Amazaspus in Traiani expeditione Parthica (a. 115/6), carmen igitur non multo post Valerii aetatem lapidi incisum est. Epigrammatis poetam, quem aliquo modo cum Amazaspo coniunctum fuisse apparet, rem scire potuisse negari nequit. Inde sequitur aut binas portas Caspias fuisse, alteras in Medis alteras in Hiberis, aut Hiberos Caspiarum portarum nomen prave in suos fines transtulisse: cum hoc veri dissimillimum sit illud amplector censeoque iis quoque portis, quae a Ponto venientibus aditum ad Caspium mare praebent, nomen Caspiarum fuisse. Viri docti autem hanc appellationem improbabant.

Valerius praematura morte impeditus est. Situm Hyrcaniae demonstrari non opus est; recte Valerius Hyrcanas inter Drangas Caspiadas Hiberos enumerat. Haud raro poetae Hyrcanos in carmina sua receperunt: tamen apparet Valerium non ex aliquo poeta eos commemorare. Laudat enim VI 116 silvas Hyrcaniae, quas ab auctore Valerii descriptas fuisse reliquorum scriptorum testimonio firmatur. Solin. 17, 4 *Hyrcania gens aspera silvis.* Servius ad Aen. VII 605 *Hyrcanisve gens est dicta a silva Hyrcania* ad VI 367 *nam Hyrcania silva est Arabiae.* Mela III 43 *silvae alia quoque dira animalia verum et tigres ferunt utique Hyrcaniae.* Plin. XXXI 43 *in Hyrcanis montibus a meridiano latere non pluit; ideo silvigeri ab aquilonis tantum parte sunt.* Tabula Ebstorfiana 3: *Hyrcania silva.* Inde efficitur geographos de silvis Hyrcaniae quaesivisse. De antris Hyrcaniae v. s. Getae.

Jaxartes (V 593). Jaxartes socius Colchorum ita nominatus est a Jaxarte illo flumine Sogdianae.

Iron (III 111. VI 201). Hoc nomen quo Valerius bis utitur Scytham et Cyzicenum [1]) significans ex lingua Latina aut Graeca explicare non possum. Vidimus et videbimus Valerii auctorem etiam oppida non pauca descripsisse; quorum in numero etiam barbarorum oppida fuisse Darapsa nos docuit. Sic Valerius Ironis nomen ad urbem aliquam circa Caucasum sitam finxit, quam nobilem non fuisse inde colligere licet quod praeter Valerium et Ravennatem nullus scriptor vestigium eius nobis servavit. Rav. II 12: *Quae patriae* (Armenia Siania Albania patria Massageton patria Caspiae, patriae Lepon Iberia patria Lazorum) *infra se habent diversas provincias* [secuntur nomina] *in quibus diversas — satis longe lateque existunt spatiosissime — plurimas fuisse civitates legimus, ex quibus aliquantas designare volumus: Arsita et Sedona Irona Arepa Polita* etc. Ex ipsis illis terris quas Ravennas enumerat Valerius permultas res attulit unde colligimus eos satis accurate descriptas fuisse. Cui genti adscribendum sit hoc oppidum neque ex Ravennate neque ex Valerio apparet.

Issedones (VI 750). Tradita si perlustramus duobus locis

1) Cyzicenus, si legimus Hiron, potuit Ἴρων esse, i. e. Ἱέρων. Cyzicenorum nomina non facile barbarae originis esse dices.

diversissimis Issedones videntur esse, et ad finem Colchidis et supra Jaxartem. Langenus et de Vitus per errorem dicunt ad Maeotidem Issedones esse: ex Plin. IV 88 apparet eos in mediterraneis regionibus supra Sarmatas incolere, i. e. eo loco quo Herodotus eos ponit; VI 20 docet eos ad Ceraunios montes habitare inter Colchos et Armenios. Mela II 1, 1 Herodoto nimis in breve coacto verum situm gentium obscuravit; inde evincitur Mela non utendum esse teste ad Maeotidem Issedones fuisse; ex Herodoto autem apparet Issedones a parte septentrionali maris Caspii supra Jaxartem incolere. Explicemus miram rem et hic et iuxta Colchidem Issedones fuisse. Hi quoque Issedones primum apud Herodotum leguntur, I 201 ἔθνος . . . οἰκημένον . . . . πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ, ἀντίον δὲ Ἰσσηδόνων ἀνδρῶν; εἰσὶ δὲ οἵτινες καὶ Σκυθικὸν λέγουσι τοῦτο τὸ ἔθνος εἶναι. Igitur Issedones ad Araxem incolunt, i. e. in confinio Armeniae. Optime cum his congruit Plin. VI 20 *supraque Essedones Colchis iunctos,* et Valerius Flaccus VI 750, qui Issedones coniunctos cum Hiberis affert. Quae omnia collabuntur, quamvis optime se habere videantur. Plinius et Valerii auctor eundem errorem commiserunt quem Langenus denuo commisit dicens: *erat gens Armeniae prope Araxem habitans teste Herod. I 201.* Et Langenus et qui praeter eum eundem errorem commiserunt locum illum Herodoti non totum legerunt; legitur ibi ὡς δὲ τῷ Κύρῳ καὶ τοῦτο τὸ ἔθνος κατέργαστο, ἐπεθύμησε Μασσαγέτας ὑπ' ἑαυτοῦ ποιήσασθαι. τὸ δὲ ἔθνος τοῦτο καὶ μέγα λέγεται εἶναι καὶ ἄλκιμον, οἰκημένον δὲ πρὸς ἠῶ τε καὶ ἡλίου ἀνατολάς, πέρην τοῦ Ἀράξεω ποταμοῦ, ἀντίον δὲ Ἰσσηδόνων ἀνθρῶν. Non recordabantur illi viri docti apud Herodotum Araxem eundem fluvium esse atque apud alios scriptores Jaxartem. Error firmatur quod Herodotus hunc Araxem describens dicit eum in mare Caspium influere. Monendum est hoc loco veteres locum illum quem nos vocamus Aral non bene novisse; itaque Oxum et Jaxartem in mare Caspium influentes faciebant. Error igitur facillime ab eo committebatur qui Massagetarum nomen neglexit. Consentaneum est hos ad Colchidem sitos Issedones tollendos esse. Ex ipsius Plinii libro colligimus ei veros Issedones notos fuisse, VI 50 *ultra sunt Scytharum populi . . . . . celeberrimi eorum Sacae Massagetae Dahae Essedones Astacae etc.* Hoc errore non evincitur Valerii auctorem inter eos

fuisse quos Plinius excerpsit: consideres Langenum quoque non permotum et pellicitum Plinii testimonio in eundem errorem incidisse Herodoto obiter lecto. Praeterea auctores perscrutatus quos se secutum esse Plinius ipse ait ne unum quidem repperi in eorum numero cuius nomine Valerii chorographiam inscribas.

Massagetae (V 125). Situm Massagetarum, quorum sedes ad Jaxartem sunt, Valerius recte compertum habet: dicit enim eos ultra portas Caspias incolere, u. v. De Massagetarum sedibus cf. Herod. I 201. 204.

Medi (V 125). De Medis idem dico ac de Massagetis. Non opus est de sedibus eorum verba facere.

Mycael (VI 129). Sub hac corruptela populum septentrionalem latere ex ordine gentium apud Valerium discimus, *Neuri Jazyges Mycael Cissi Arimaspi Auchatae Thyssagetae.* Reicienda est coniectura Μυκοί (Langen. in adn. Müllenh. III p. 62 adn.) quae gens ad sinum Persicum sita non respicienda est neque praeter falsam coniecturam quae est *Cossaei* ulla re commendatur. Valerius quamquam catalogum suum longissime orientem versus extendit tamen iusta ratione commotus non intexuit gentes quae in terris bene cognitis nimis ad meridiem vergant. Quae de crine odorato huius gentis narrat aliunde transtulit.

Novas. Facile inducaris ut Novam eundem fluvium esse credas ac Νόην quem Herodotus laudat. Tamen res aliter se habet, uterque locus quo legitur apud Valerium nos admonet ne de fluvio Thraciae qui in Istrum influit cogitemus. IV 718 enumerantur Ister Tanais Lycus Hypanis Novas Maeotis (i. e. Maeotidis ostium in Pontum), unde colligitur Novam inter Tanain et Caucasum esse. Fluvium qui in alium influit dici non posse rerum conexu manifeste demonstratur, nam agitur de fluviis septentrionalibus qui immensa vi aquae Pontum augeant (cf. quae s. v. Maeotis dixi); itaque Istro ipso iam appellato fluvius qui in eum influit dici non potest. Cum hoc loco alter VI 100 bene coniungitur: Valerius ab occidente orientem versus procedens enumerat Corallos Bastarnas Novam Alazona; Novas igitur inter Bastarnas et Alazonam est. Haec sunt quae ex Valerio colliguntur. Unum vestigium Novae fluvii quod praeter Valerium nobis servatum est bene ad haec quadrat. Cosmographiae c. 33 (Riese, Geogr. Lat. min. p. 86). *Oceanus septentrionalis habet flumina Thanais Boristhenen Maeotidem Nais Thesimon Phasin.*

Respicias quam simili modo Valerius et cosmographus Novam et Maeotidem coniungant: uterque Maeotidem in fluviorum numero habet[1]). Quae similitudo fortuita non est. Eadem est enumeratio apud Iulium Honorium cap. 33 s: *Tanais Borysthenes Maeotae Nais Themysos Phasis.* Uterque addit: *fluvius Nais nascitur de monte Tauro, influit in mare Ponticum, currit milia CCCV.* Illi geographi Taurum multum extendebant; item Ptol. $9,_{14}$ a parte septentrionali Ponti montium iuga adnotat, τὰ Ἱππικὰ ὄρη, τὰ Κεραύνια, ὁ Κόραξ. Constat geographos Latinos qui vocantur minores ab optimo vetusto auctore repetendos esse, qui primo p. Chr. saeculo non recentior est. Valerius et hi geographi invicem sibi subsidio sunt. Ut novicium nomen Novae fluvii dicamus non sufficiunt quae tradita sunt; id tantum certe definire possumus Novam non longe a Maeotide orientem versus esse; fortasse influit in Maeotidem, ut Lycus et Hypanis quos fluvios una cum Nova Valerius enumerat.

Quae Valerius de accolis Novae narrat, VI 99

nec procul albentes gemina ferit aclyde parmas

non ex chorographia sumpsit, sed ex duobus Vergilii locis composuit, VII 687

pars spicula gestat
bina manu

et VII 730

teretes sunt aclydes illis
tela.

Ocheus — *Ochus* (VI 200. III 148). Haec duo nomina variatas formas unius esse apparet. De origine ambigi potest. Haud raro legitur cognomen Persarum regum Ὦχος, quod Valerio notum fuisse ex aliorum nominum Persicorum usu concluditur. Altera ex parte Valerius hoc nomen ducere potuit ab Ocho fluvio Bactrianae qui quin apud auctorem Valerii fuerit nemo dubitabit. Commemorant eum Curt. VII $10,_{15}$. Amm. XXIII $6,_{57}$. Plin. VI 48. XXXI 75. Solin. $49,_{2}$. Strabo 509 διαῤῥεῖται δὲ καὶ ποταμοῖς ἡ Ὑρκανία τῷ τε Ὤχῳ καὶ Ὤξῳ μέχρι τῆς εἰς θάλατταν

1) In tabula quoque Ebstorfiana legimus *Meotis fluvius.* Haec satis memorabilis descriptio, ubicumque invenitur, repetita est ab illa chorographia quae Valerii exemplar fuit.

ἐκβολῆς, ὧν ὁ Ὦχος καὶ διὰ τῆς Νησαίας ῥεῖ, ἔνιοι δὲ τὸν Ὦχον εἰς τὸν Ὦξον ἐμβάλλειν φασίν ...... οὐ πάνυ δὲ ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὁ Ὦχος ὀνομάζεται. Utram originem praeferamus incertum est, cum utraque pariter verisimilis sit.

Parthi (VI 691) Parthos fortasse ex chorographia desumpsit Valerius, quod non regnum Parthorum sed gentem Parthorum significare videtur.

Phasis Phasidem ex Apollonio translatum Valerius ex chorographia accuratius describit. III 501 Phasidem quem Apollonius saepius εὐρύν appellat, altum vocat. Id non inane epitheton est ut εὐρύς, sed paucis locis quibus legitur semper significat altitudinem fluvii exploratam aut utilem ad aliquid aut inutilem esse. Ipse Phasis praedicatur tam altus esse ut magnas naves vehat. Plin. VI 13 *clarissimusque Ponti Phasis. Oritur in Moschis, navigatur quamlibet magnis navigiis XXXVIII MD passuum, inde minoribus longo spatio.* Strabo 498 ὁ Φᾶσις, μέγας ποταμὸς ἐξ Ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων .... ἀναπλεῖται δὲ μέχρι Σαραπανῶν ἐρύματος. cf. p. 500. Similiter Valerius IV 616 non sine causa Phasidem rapidum appellat, Strabo 500 ὁ Φᾶσις ... καταῤῥεῖ τραχὺς καὶ βίαιος εἰς τὴν Κολχίδα, πολλοῖς χειμαῤῥοῖς κατὰ τὰς ἐπομβρίας ἐκχαραδρουμένων τῶν τόπων, γεννᾶται δ᾽ ἐκ τῶν ὑπερκειμένων ὀρῶν πολλαῖς συμπληρούμενος πηγαῖς κ. τ. λ. Seneca Med. 762 *violenta Phasis vertit in fontem vada.* V 179 credas epitheton *magnus* versionem Graeci vocabuli εὐρύς esse; sed *latus* usitatum epitheton fluviorum est, et magnitudinem Phasidis scriptores laudant; cf. Plin. l. c. Strabo l. c. ὁ Φᾶσις, μέγας ποταμός. Aristot. meteor. I 13,17 ἐκ δὲ τοῦ Καυκάσου ἄλλοι τε ῥέουσι πολλοὶ καὶ κατὰ πλῆθος καὶ κατὰ μέγεθος ὑπερβάλλοντες καὶ ὁ Φᾶσις. Harum rerum consensu auctoritas chorographiae Valerii perspicitur.

Proconnesus (III 34). Forma quae est *Procnesos* imitatur poeta Apollonium qui Χέρνησος finxit I 925 IV 1175 [1]).
Proconnesus apud Apollonium non legitur videturque ex chorographia suppleta esse. Per se fieri potest, ut Proconnesus ex aliis Argonauticis aut ex schol. Ap. Rh. II 279 sumpta sit. Me movet descriptio fluvii Rhyndaci sequenti versu allata, qua Rhyn-

1) cf. Leo, Götting. gel. Anz. 1897.

dacus ex Apollonio desumptus chorographiae auxilio accuratius describitur, III 35. Inter geographos constat saepissime fieri ut cursum fluviorum admodum magno spatio in mari discernere possis, praesertim cum aut imbribus aut nivibus dilapsis aucti magnam vim limi vehant. Praeter geographos vix ullus homo hanc rem in libris descripsit. Cuius rei testimonium habeo id quod Valerius IV 698 de Rheba fluvio dicit, ubi item Apollonio res quamvis exigua visa tamen gravis adicitur:

nec prius obsessum scopulis respexit ad aequor
aut sociis temptata quies, nigrantia quam iam
litora longinquique exirent flumina Rhebae.

Langenus hoc *longinquum* explicare non potest: facile explicatur si conferas ea quae Valerius de Rhyndaco dicit; fluvius usque in altum mare discernitur et ab Argonautis traicitur. Si hanc explicationem repudias vox *exirent* intellegi non potest, nam Argo in Rhebae ostium non invecta est. Explicationem meam rectam esse probatur Avieni [1]) testimonio, 964 s.

Rhebas cyanei qui disicit aequora ponti
Rhebas argento similem qui porrigit undam.

Inde apparet Rhebae descriptionem auctori geographico deberi, idemque pertinet ad Rhyndaci descriptionem. Veri simillimum est etiam Proconnesum inde sumptam esse, praesertim cum apud poetas neque usitata neque nota sit.

Rhebas (IV 698). Rhebae descriptio ex Apollonio desumpta ex chorographia aucta est; v. s. Proconnesus. Idem dicendum est de *Rhyndaco* fluvio (III 35).

Rhyndacus Scythes (VI 220) nomen a fluvio accepit. Hoc nomen re vera homini cuidam erat, C J A II 3105, sed ibi quoque a fluvio desumptum, nam qui id gerit Cyzicenus est.

Sarmatae v. s. Europa.

Scylaceum (III 36). Apollonius in periplo Scylaceum omisit; duobus ex auctoribus supplere potuit poeta, aut ex aliis illis Argonauticis quibus etiam Euarchum debet, aut ex chorographia. His versibus (III 34 ss.) supplementa ita cumulantur ut appareat omnia indidem sumpta esse, et cum Rhyndacus inter haec nomina sit censeo chorographiam originem horum omnium nominum esse.

1) Hunc locum Langenus ad III 35 adnotat; sed fugit eum inde IV 698 explicari posse.

Nullius momenti est Rhyndaci et Scylacei ordinem a Valerio mutatum esse: talia Valerius ut poeta non semper accuratissime curavit, velut II 9 et V 106 nominum ordinem permutat. De forma nominis consentio cum Langeni disputatione; conferas quo modo Valerius Pellenes oppidi nomen mutaverit (p. 23).

Sindi (VI 86). Valerius Sindos ordine non servato inter Tyram et Corallos collocavit; tamen de situ huius gentis ne minima quidem dubitatio oriri potest. Incolunt paene insulam quae ab oriente porrecta simul cum Chersonneso Taurica Bosporum Cimmerium efficit, quaeque ab eis nomen Sindice accepit, cf. Reinach. p. 212. Müllenh. III p. 61 adn. Herod. IV 28. 86. Hellanic. ap. schol. Ap. Rh. IV 322. Strabon. 311. 492. 495. 496. 556. Diod. XX $25,_4$. Melam I $19,_{110}$. Plin. VI 17. Tab. Peut. X 1. Polyaen. VIII 55. Aelian. IX 20 (ubi legendum Σινδικῇ τε καὶ Μαιωτικῇ). Scylacem 72. Scymn. 888. Dion. Per. 681. Avien. 866. Arr. peripl. 28. Ptol. V, $9,_8$. Amm. XXII $8,_{41}$. Orph. Arg. 1049. St. B. Σύνδικος (leg. Σίνδικος) ibid. Σινδοί. Rav. II 12. In nomine regum Bosporanorum Sindi semper fere leguntur, J P E Panticapaeum No: 6. 7. 8. 10. 11. 15. 36. 344. 345. 346. 347. Forma Sindones qua Mela I $19,_{110}$ utitur alibi non invenitur. Plane alios Sindos Ap. Rh. IV 322 et Timonax fr. 1 (ap. schol. ad Ap. Rh. l. c.) commemorant; nominum similitudo fortuita est. Quae Valerius VI 86 s. de Sindis narrat:

degeneresque ruunt Sindi glomerantque paterno
crimine nunc etiam metuentes verbera turmas

transtulit non ex ipso Herodoto IV 1, sed chorographia interposita, ut videbimus. Herodoti locum perlegens videbis non omnia ex Herodoto Valerium haurire potuisse: namque de Scythis Herodotus, de Sindis Valerius haec narrat. Dices haec ut multa ad libidinem a poeta translata esse. Aliquo tempore hanc translationem factam esse non nego, nam Herodotus unus haec tradit, reliqui scriptores ab eo pendent. Valerius autem rem in chorographia sua ita comparatam invenit ut nunc apud eum legimus: testis est Ammianus quem Valerium legisse nemo dicere audebit. Dicit auctorem suum geographicum secutus haec, XXII $8,_{41}$: *longo exinde intervallo paene est insula quam incolunt Sindi ignobiles* (= degeneres!), *post eriles in Asia casus coniugiis potiti dominorum et rebus.* Ne

epitheton *degeneres* quidem Valerius ipse finxit, id quoque comparatum invenit; cf. Plin. IV 80: *alias Getae, Daci Romanis dicti, alias Sarmatae, Graecis Sauromatae, eorumque Hamaxobii aut Aorsi, alias Scythae degeneres et a servis orti aut Trogodytae* etc. Plinius hoc loco non eundem auctorem exscribit ac Valerius, tamen apparet Valerium Sindos non de suo degeneres appellasse. Necessitatem inter Valerium et Ammianum intercedentem nisi auctori geographico tribuas explicare non potes. Fortasse Sallustius hanc translationem fecit auctorque Valerii eam recepit: nam Ammianum permulta e Sallustio hausisse nemo est quin sciat. Docemur autem hac re non omnia in Valerii chorographia perbona fuisse; porro eum fructum capimus ex hac quaestione ut comperiamus auctorem satis copiosum fuisse neque aridam nominum tantum enumerationem praebuisse.

Sinope. Apollonius urbem Sinopen in periplo commemorat, descriptio autem quam apud Valerium legimus, V 108:

magnae pelago tremit umbra Sinopes

inde hausta esse non potest. Talis descriptio non fingitur, ita non loquitur poeta de urbe cuius situs ei plane incognitus est. Si Sinope ut pleraeque aliae urbes maritimae in litore aedificata esset, umbram non in mare proiceret. Est autem non sita in litore sed in alta insula quae aggere cum continente coniuncta in mare porrigitur. Polyb. IV $56,_5$ ἡ δὲ Σινώπη κεῖται μὲν ἐν τοῖς δεξιοῖς μέρεσι τοῦ Πόντου παρὰ τὸν εἰς Φᾶσιν πλοῦν, κεῖται δ'ἐπί τινος χεῤῥονήσου προτεινούσης εἰς τὸ πέλαγος. ἧς τὸν μὲν αὐχένα τὸν συνάπτοντα πρὸς τὴν Ἀσίαν (ὃς ἔστιν οὐ πλεῖον δυοῖν σταδίων) ἡ πόλις ἐπικειμένη διακλείει κυρίως. 6. τὸ δὲ λοιπὸν τῆς χεῤῥονήσου πρόκειται μὲν εἰς τὸ πέλαγος. ἔστι δ'ἐπίπεδον καὶ πανευέφοδον ἐπὶ τὴν πόλιν, κύκλῳ δ'ἐκ θαλάττης ἀπότομον καὶ δυσπροσόρμιστον, καὶ παντελῶς ὀλίγας ἔχον προσβάσεις. cf. Strabonem p. 545. Reinach. p. 352. Descriptionem huius generis Valerio ante oculos fuisse apparet, quam admirabili arte in unum pulcherrimum versum contraxit. Ex aliis Argonauticis hanc descriptionem sumptam esse non puto quia peripli situm urbium tam accurate depingere non solent. Veri simillimum est chorographiam, quae ex bellis Mithradaticis fructum haud spernendum cepit, Sinopes situm accurate depictum continuisse, quoniam Sinope regia Mithradatis pulcherrima et nobilissima erat.

Thyrsagetae (VI 135). Certas sedes Valerius Thyrsagetis non tribuit, enumerans Arimaspos Auchatas Thyrsagetas Emodam; ponit eos *gelida sub arcto*. Optime haec concinunt cum aliis auctoribus qui Herodotum secuti — nam is unus aliquid de Thyssagetis comperit, reliqui eum exscripserunt — Thyssagetas in mediterraneis remotis regionibus ad aquilonem vergentes incolere narrant, Herod. IV 22. $_{122}$. Mela I 19, $_{116}$. Plin. IV 88. VI 19. Thyssagetas ex auctore ad auctorem propagatos etiam in Valerii chorographia fuisse certum est. Recte Langenus ad VI 139 dicit Thyssagetas remotissimos ab Hebro Thraciae fluvio esse; fieri non potuit ut Valerius, qui tot gentes ad Pontum sitas enumerat, Thyssagetarum sedes si ad Pontum fuissent gelida sub arcto esse diceret. Fuerunt enim qui dicerent Thyrsagetas eandem gentem esse ac Tyragetas aut Tyregetas aut Tyrangetas [1]). Strabo 117. 128. 289. 295. 306. Ptol. III 5,$_{11}$. 10,$_{7}$. Plin. IV 82 *clarus amnis Tyra .... in eodem spatiosam insulam incolunt Tyragetae.* Hanc gentem ad Tyrae ostium sitam Valerius ita describere non potuit. Recte iam Ukertus (Geographie der Griechen und Römer III 2 p. 542) vidit Tyssagetas formae a Valerio fictae subesse. Facillima mutatio formae facilior redditur nominibus quibusdam Scythicis, velut Agathyrsis, Idanthyrso. Similiter Bastarnarum nomen paulum mutavit. Kolster (Das Land der Skythen p. 39) et Tomaschek (apud Pauly-Wissowa) audacissime coniciunt Thyrs-agetas eandem gentem esse atque Aga-thyrsos. De Tyssagetis nihil cognitum erat; recte Langenus ad VI 135 adnotat: *quae Valerius de eis narrat ex nomine ipso gentis finxit.*

Toryni (VI 144). Valerius Torynos una cum Exomatis et Satarchis appellat, unde apparet eos prope Bosporum Cimmerium habitare. Praeter hanc apud Valerium mentionem Torynorum nomen prorsus ignotum est; tamen cum haec de situ concludere possimus non desperandum est. Juxta Exomatas incolunt Toretae, Strabo 495. Plin. VI 17. Ptol. V 9,$_{9}$. Scylax 24. Dion. Per. 682. Steph. Byz. Τορέται. J P E Panticapaeum No: 6. 36. 344. Restat ut nomen Torynorum explicemus. Estne corruptum?

1) i. e. Getae qui ad Tyram incolunt, Zeuss, die Deutschen und die Nachbarstämme p. 280 adn.

Utroque loco patitur versus formam *Toretae*. An Valerius hanc formam apud auctorem suum repperit? Valerium ad arbitrium formam variasse credi non potest: nam causas cur Batarnas et Thyrsagetas finxerit hodie quoque intellegere possumus. Si neutrum placet statuendum est Valerium prorsus aliam gentem dicere; qui id facit pugnat cum Valerio, qui sedes Toretarum satis manifeste significat. Equidem puto Torynos et Toretas eandem gentem esse considerans multorum populorum Scythicorum nomina varia forma tradi, ut Ῥωξολανοί — Ῥευκαναλοί — Ῥευξιναλοί, Σαρμάται — Σαυρομάται — Συρμάται, Τυρεγέται — Τυραγέται — Τυραγγέται, Exomatae — Ἰξαβάται — Ἰαξαμάται — Ἰξομάται — Ἰξιβάται. Consentaneum est haec nomina barbara quae aurem Graeci et Romani hominis dissono crepitu offendebant ab aliis aliter intellecta et scripta esse. Fortasse Valerii auctor maioris aestimandus est quod forma vulgata non utitur. Licet conicere unde haec forma originem capiat. Anno p. C. 49 Romani expeditionem in illas regiones susceperunt, quam Tacitus ann. XII 15 ss. uberius describit. Quantum fructum geographia ex hac expeditione ceperit et tractanti has res saepe apparet et Plinius profitetur, VI 3 *nos intervalla generatim ponimus comperta in aevo nostro, quando etiam in ipso ore Cimmerio pugnatum est.* Plinius haec dicit non sine vituperatione quadam chorographiae Agrippae qui parum accurate has res tractet: comparat cum Agrippae chorographia quae nuper reperta sint. Valerius res tam parvulas in illis regionibus novit, ut Acesinum et fluvios qui in Bycen influunt, ut appareat eum iam usum esse fructu ex illa expeditione capto, i. e. auctor eius post annum p. C. 49 chorographiam suam conscripsit. cf. Ukert. III^2 p. 69. Aliud testimonium et Torynos eosdem esse ac Toretas et accuratissime eos ab auctore descriptos fuisse id est quod de egregio melle Torynorum Valerius profert; cf. K. Neumann (Die Hellenen im Skythenlande, vol. 1 p. 11) der Handel Odessas mit Wachs erhält jetzt z. B. seine vorzüglichste Nahrung aus den Gegenden am mittleren und oberen Dnjestr, während Griechen und Genuesen diesen wichtigen Handelsartikel von den kaukasischen Bergvölkern bezogen. Scythas mel et ceram Graecis suppeditasse saepius commemorant, ut Polyb. IV 38 οἱ κατὰ τὸν Πόντον τόποι .... πρὸς δὲ περιουσίαν μέλι κηρὸν τάριχος ἀφθόνως ἡμῖν χορηγοῦσι. cf. Paus. I 32, $_{1}$. Ukert. III^2 p. 251

Bienen finden wir in mehreren Gegenden erwähnt, und Honig und Wachs waren Ausfuhrartikel in Skythien.

II. Europa

cum Tanai Maeotide Ponto Propontide.

Acesis (VI 69). Acesinem fluvium circa Maeotidem esse apparet ex nominibus circumiacentibus Gerus Byce Hylaea, quae omnia eiusdem regionis sunt, scilicet circa Isthmum qui Chersonnesum Tauricam cum continente coniungit. Aliud quoque de situ ex Valerio colligitur. Langenus versu VI 73 testimonio usus Acesinum fluvium Chersonnesi Tauricae esse dicit: ego quoque ita concluderem, nisi esset Plinii locus, IV 83 *ultra Panticapes amnis qui Nomadas et Georgos disterminat, mox Acesinus* Connexus rerum ibi manifeste indicat Acesinum fluvium continentis, non Chersonnesi infra descriptae esse. Ex Plinio apparere videtur Acesinum in Borysthenem influere, quoniam Panticapes quoque in Borysthenem se proicit; fortasse is fluvius est qui hodie Konskaja appellatur, quique ad Plinii et Valerii descriptionem optime quadrat. Videas in hoc fluvio tractando quantum fors valeat: si praeter Valerium nihil de Acesino traditum esset valde gauderemus quod ex Stephano Byzantio probare possemus Acesinem (non Acesinum!) apud nonnullos scriptores eundem fluvium esse ac Tanain. St. B. Τάναις . . . . τινὲς δὲ καὶ τὸν ποταμὸν Ἀκεσίνην εἶναι καὶ Ἰαξάρτην, ἐλληνίσθαι δὲ τὰ πολλὰ τῶν βαρβαρικῶν ὀνομάτων, ὡς Νικάνωρ φησί. Error firmaretur quod Tanais, quem in catalogo desideramus, illo loco non ita ineptus esset. Quid putas nos talibus indiciis usos de scriptoris auctoritate collecturos fuisse? De fatidica cerva recte disputavit Langenus ad VI 70. Sine dubio poeta lucum Dianae Tauricae dicit, cuius rei epitheton Dianae '*saeva*' testis est; tamen inde non sequitur Acesina agmina Chersonneso Tauricae adscribenda esse.

Ambĕnus (VI 85). De Ambeno monte unum Valerium testem habemus. Ex ordine nominum Tyra Ambenus Ophiusa apparet hunc montem non procul ab ostio Tyrae fluminis esse, ut iam Langenus recte vidit. Fortasse cum hoc monte coniungenda est urbs Ambena; Suidas Ἄμβενα, ὄνομα πόλεως; de huius urbis situ nihil accepimus, cum fieri non possit, ut eadem sit atque urbs Africae Ἀβέννα (Eusth. ad Dion. Per. 64).

Ambenus Scytes (VI 251) a monte nomen accepit.

Anausis Scythae (VI 43) nomen, quod aliter explicare non possum, sumptum esse puto ab Anasorum gentis nomine; Plin. VI 22 *Tanain vero transisse Satarcheos Herticheos Spondolicos Synhietas Anasos Issos Cataectas* etc. Fieri potest, ut apud auctorem Valerii scriptum fuerit Anausi.

Arines (VI 638). De Vitus nominativum *Arin* esse dicens ducit hoc nomen a Punico nomine *Arin* (Liv. 26, 49); etiam in Sardiniam a Poenis translatum esse mihi videtur, Cic. Scaur. 1 s. Mart. Cap. V 469. Arinis nomen Punicum fuisse ea quoque de causa mihi videtur, quod oppido cuidam Africae nomen *Arina* est, Ptol. IV 2, 23. Hinc tamen originem repetendam esse non puto, aliud mihi placet. Rav. IV 14 fluvium Daciae Arinen describit, itemque Procopius de aed. IV 11 p. 307[22] Dind. castellum Arina ad Danuvium situm. Saepius miratus sum quot nomina antiquis geographis nota post longum tempus apud Ravennatem denuo quasi emergant; horum Arines fortasse unum est. Tamen non nego fieri posse ut Valerius oppido Africae usus sit; certa vestigia supersunt Valerium etiam Africae descriptione usum esse.

Auchatae (VI 132). Auchatas antiquissimis temporibus nobilem gentem fuisse conicere licet ex Herod. IV 6 ἀπὸ μὲν δὴ Λιποξάιος γεγονέναι τούτους τῶν Σκυθέων οἱ Αὐχάται γένος καλέονται. Inde apud primi demum p. C. saeculi scriptores leguntur, Plin. IV 88, VI 50. Perpauca de eis comperta habebant, quae omnia ex Herodoto hausta sunt; nam sedes eorum computatione quadam fictae, non recenti notitia detectae videntur. Ex Herodoto colligitur eos Scythiae propriae, quae certis finibus circumscripta non ita magna est, partem obtinuisse. Cum eo consentit Plin. VI 22: *alii influxisse eo Scythas Auchetas, Atherneos, Asampatas, ab his Tanaitas et Inapaeos viritim deletos.* IV 88 (inde Sol. 81 et Mart. Cap. VI 663) *A Taphris per continentem introrsus tenent Auchetae apud quos Hypanis oritur.* Euchatae, quos Plin. VI 50 remotis locis ultra Jaxartem ponit iidem atque Auchatae esse non

possunt, nisi forte valde erravit Plinius. Haec omnia sunt quae de Auchatis comperta habemus, omniaque ab Herodoto repetuntur, post cuius aetatem nemo quicquam de Auchatis aut vidit aut audivit; Auchatarum gens earum est, quarum memoria procedente tempore evanuit. Itaque Valerius apud auctorem suum de eis non plus reperire potuit quam nos apud Herodotum legimus, et translata sunt quae de eis narrat VI 132 s.:

doctus et Auchates patula vaga vincula gyro
spargere et extremas laqueis adducere turmas.

Hanc pugnandi rationem narrabant chorographiarum scriptores secuti Herod. VII 85: Εἰσὶ δέ τινες νομάδες ἄνθρωποι Σαγάρτιοι καλεόμενοι, ἔθνος μὲν Περσικὸν καὶ φωνῇ, σκευὴν δὲ μεταξὺ ἔχουσι πεποιημένην τῆς τε Περσικῆς καὶ τῆς Πακτυικῆς· οἳ παρείχοντο μὲν ἵππον ὀκτακισχιλίην, ὅπλα δὲ οὐ νομίζουσι ἔχειν οὔτε χαλκέα οὔτε σιδήρεα, ἔξω ἐγχειριδίων. χρέωνται δὲ σειρῇσι πεπλεγμένῃσι ἐξ ἱμάντων, ταύτῃσι πίσυνοι ἔρχονται ἐς πόλεμον. ἡ δὲ μάχη τούτων τῶν ἀνδρῶν ἥδε· ἐπεὰν συμμίσγωσι τοῖσι πολεμίοισι βάλλουσι τὰς σειρὰς ἐπ' ἄκρῳ βρόχους ἐχούσας· ὅτεῳ δ'ἂν τύχῃ, ἤν τε ἵππου ἤν τε ἀνθρώπου, ἐπ' ἑαυτὸν ἕλκει. οἱ δὲ ἐν ἕρκεσι ἐμπαλασσόμενοι διαφθείρονται. Prorsus idem Pausanias I 21, 8 de Sarmatis narrat: καὶ σειρὰς περιβαλόντες τῶν πολεμίων ὁπόσοις καὶ τύχοιεν, τοὺς ἵππους ἀποστρέψαντες ἀνατρέπουσι τοὺς ἐνσχεθέντας ταῖς σειραῖς. Et totus quidem hic Pausaniae locus, potissimum verba antecedentia, Herodoto tam similia sunt, ut suspicio moveatur; tamen si haec Sarmatarum descriptio vera esset oporteret eam non multo ante Pausaniam conceptam esse; nam primo saeculo Sarmatae longe alia ratione cum Romanis congressi sunt, cf. Tac. hist. I 79 et ipsum Valerium VI 232 ss. Non veri simile est Valerium apud auctorem suum duas diversissimas rationes pugnandi Sarmatarum repperisse. Accedit quod Sarmatarum ratio pugnandi a Pausania descripta nusquam commemoratur, quamquam sescentis locis de Sarmatis agitur a scriptoribus, qui certe hanc miram pugnandi rationem non silentio praeterissent. Ergo censeo Pausaniam exemplum suum, Herodotum, hoc quoque loco secutum esse[1]; fortasse bona fide Sarmatas ita

---

1) Wernickius (de Pausaniae studiis Herodoteis, Berolini 1884) hunc locum praetermisit.

descripsit, quod Sarmatarum nomine permultae gentes comprehendebantur, cur non et Sagartii? Censemus igitur Herodotum et apud Valerium et apud Pausaniam auctorem huius narrationis esse.

Auchus (VI 60). Recte Langenus Auchi nomen ab Auchatarum gente ducit Descriptioni eius

cui candidus olim
crinis inest, natale decus

adnotat Ellis (Journal of philol. IX p. 57) Ptolem. Heph. IV (Phot. cod. 190) καὶ Γαλάτου τινὸς υἱὸς Ἀχιλλεὺς ἐκλήθη, ὃν ἐκ γενετῆς πολιὸν γενέσθαι φησί.. Scythas alba cute et flavo crine fuisse complures scriptores testes sunt, ut Arist. Problem. 38, 2. Martialis IV 68. Galenus de sanit. tuend. 1, 5. Plin. II 189 *candida atque glaciali cute esse gentes, flavis promissas crinibus.* Hesych. Σκυθικόν. Valerius etiam VI 144 demonstrat hanc descriptionem sibi notam fuisse, dicens

et flavi crine Satarchae

quod re vera non ad solos Satarchas pertinere consentaneum est.

Aulon (I 389). Aulonem praeter Valerium et Plinium IV 6, 3 nullus Romanorum scriptor laudat neque ullus Graecorum poeta. Itaque aliena erat a poetarum usu. Quid Aulon fuerit bene exposuit Oberhummer in encyclopaedia, quam Pauly et post eum Wissowa edidit. Difficile est de hoc et quibusdam aliis nominibus oppidorum in Graecia sitorum diiudicare. Graeciam quoque ab auctore Valerii descriptam fuisse extra dubitationem positum est; tamen Graeciae regiones adeo notae erant ut difficile discernas quae nomina auctori debeat quae ipse noverit. Praeterea sciri non potest num poeta in Graecia fuerit quosque locos ibi adierit. Tamen auctorem geographicum subesse puto, quia poeta praedicat Aulonem fluctibus obvium esse; *obvius* non idem valet atque *expositus*, sed inest huic vocabulo notio occurrendi: unde colligo Valerium Aulonem pro Nedae fluvii valle accepisse. Optime et poetice dictum est fluvium mari obvium esse.

Balloniti (VI 161). De forma huius nominis v. p. 8. De sedibus eorum nihil traditur, tamen licet ex Valerio conicere ubi fuerint. Valerius eos una cum Moesis et Sarmatis enumerat, quae gentes ad Danuvium inferiorem incolunt, itaque Balloniti quoque in illa

regione ponendi sunt. De armatura eorum Valerius VI 160 haec narrat:

ibant et geminis aequantes cornibus alas
Balloniti.

Contortas explicationes Wagneri et Langeni mitto; nam Valerius hoc modo narrare solet quae notabilia sunt, non qua forte ratione acies instructa sit. Multo propius ad veram explicationem accedit Köstlin, Philologi vol. 48, p. 665. Arcus Scytharum duobus cornibus compositos fuisse tradit Eusth. ad Dion. Per. 157 Σκυθικὰ δὲ τόξα τὰ ἐκ κεράτων συγκείμενα. Ponti Euxini figura cum Scythico arcu cur compararetur non intellegeremus, nisi arta forma Scythici arcus ita efficeretur: reliquarum gentium arcus tam longi et proceri erant, ut cum his Pontum Euxinum comparare non liceat.

Bastarnae (VI 96). Valerius Bastarnarum nomen omissa litteras ita comparavit, ut fini versus congrueret; satis mire scripturam novavit, cum alii versus loci hoc nomen non mutatum patiantur. Exempla nominum ita comparatorum non pauca reperiuntur: scribit ipse Valerius VI 67 *Gerus* pro *Gerrhus* III 34 *Procnesos* pro *Proconnesos*, Apoll. Rhod. I 925. IV 1175 Χέρνησος pro Χεῤῥόνησος, VI 135 *Thyrsagetae* pro *Tyssagetae*: Lycophron 695. 1427 Κίμμεροι pro Κιμμέριοι; Brĭttanni, quae forma certam fidem habet, poetis Latinis ubique Brĭtanni audiunt. Dion. Per. 304 Σαμάται pro Σαρμάται. Formam *Batarnae* veram esse omnino non credi potest. Traduntur duae formae huius nominis, quae tamen ambae litteram s continent. Bast*a*rnae Polyb. 26, 9. Cassius Dio 38, 10. 51, 23. Liv. 40, 5. 1[illegible]. 57, 2. 41, 19. Mon. Anc. Gr. col. V. Dion. Per. 303 schol. Steph. Byz. Scymnus 797. Anon. per. 63. Strabo p. 93. 128. 289. 294. 296. 305. 306. Tac. Germ. 46. ann. II 65. Plut. de fort. Rom. 11. Athen. V 213b. Tab. Peut. Willmanns inscr. 1145. Claud. de IV cons. Hon. 450. Avien. 442. Trogus prol. 28. Justin. 32, 3, 16. 38, 3, 6. Bast*e*rnae Plut. Aem. Paullus 9. 12. Cosmogr. 26. Claud. de cons. Stil. I 96. Appian. Mithr. 15. Ill. 4, 22. Maced. 11, 1. Plin. IV 81. 100. Memnon. cap. 39. Eutr. IX 25. Zosim. I 71. Oros. IV 20. VII 25. Liv. per. 134. Procop. de aedif. IV 11. Jord. Get. XII 74. Ptol. III 5, 7. Capitol. Marcus 22. Vopiscus Prob. 18. CIL III[2] p. 862 v. 35. Ovid. Trist. II 198.

Apparet Valerium bono auctore in describendis Bastarnis usum esse; cf. Müllenhoffium II p. 109. Sidones revera pars Bastarnarum sunt, cf. Strabon. p. 306 Βαστάρναι . . . . εἰς πλείω φῦλα διῃρημένοι. καὶ γὰρ Ἄτμονοι λέγονταί τινες καὶ Σιδόνες . . . . καὶ Πευκῖνοι . . . καὶ Ῥωξολανοί. De Bastarnarum pugnae ratione vera Valerium nobis tradere discimus ex Plutarcho, Aem. Paull. 12 ἧκον μὲν γὰρ αὐτῷ (Perseo) δεηθέντι Βαστέρναι, μύριοι μὲν ἱππεῖς, μύριοι δὲ παραβάται, μισθοφόροι πάντες κ. τ. λ. Haec igitur Valerius non transtulit, quamquam idem de aliis Germanis traditur; cf. Müllenh. II p. 105 adn. Itaque quae Valerius VI 97 s. narrat pro veris accipienda sunt. Bastarnae non semel exercitibus Romanorum terrori fuerant, unde facile narratio de pugnandi ratione eorum a Valerii auctore recipi poterat. Dubium videtur num *Teutagoni* ducis eorum nomen genuinum habendum sit. Primum apud scriptores rerum geographicarum ducum nomina afferri non solent nisi forte clarissimi sunt: de Bastarnarum duce nobili Teutagono nihil accipimus. Deinde minime necesse est ut Teutagoni nomen aut Germanicum aut Celticum esse credamus, non pelliciti syllaba *Teut*. Altera pars huius nominis, *-gonus*, sine dubio Graeca est, ut in Ἰσίγονος, Ἀντίγονος, Ἠριγόνη, Χρυσόγονος, etc. Inde suspicio in syllabam *Teut* movetur, quae re vera in oriente saepius invenitur. Novimus regem Assyriorum Τευταῖον (excerpt. Lat. Barb. p. 255 Fr.), reginam Illyriorum *Teutam* (Polyb. II 4 ss. Plin. 34, 24. Trog. prol. 28. Flor. II 5, 2), patrem Biantis Τευτάμεων (Diog. L. I 82. 88), regem Larisae Τευταμίαν (Apollod. II 4, 4), Pelasgum Τευταμίαν (Il. II 843), regem Assyriorum Τεύταμον (Diod. II 22), ducem argyraspidarum Eumenis Τεύταμον (Diod. 18, 59 Plut. Eum. 13. Polyaen. IV 8, 2), bubulcum qui Herculem artem sagittas coniciendi docuit Τεύταρον (schol. Theocr. Id. 13, 56. schol. Lycophr. 51. 458). Vides in Graecis nominibus cum *Teut* compositis semper *a* litteram sequi (excepto uno Eleo quem Τευτίαπλον vocat Thuc. III 29), contra in Germanicis et Gallicis semper *o*, ut in nominibus qui sunt *Teutones*, *Teutoburgium*, *Teutobochus*, *Teutomatus*, *Teutomeres*, Τευτονόαροι. Igitur Teutagoni nomen ab ipso Valerio compositum videtur. Alia quoque res hoc nomen in

suspicionem vocat: omnes alii duces, ut Colaxes, Vanus, Auchus, Datis etc. nulla ratione coniuncti sunt cum ea gente cui Valerius eos praefecit: credisne unum Teutagonum cohaerere cum ea gente cui praeest? cf. Müllenh. II p. 109 adn.

Valerius Bastarnas iuxta Corallos, qui haud procul a Danuvii ostiis incolunt, enumerat. Id reliquorum scriptorum testimonio firmatur. Bastarnae primum commemorantur apud Trogum Prol. 28: *Ut mortuo rege Epiri Alexandro Laudamiam Epirotae occiderint. Dictique in excessu Bastarnici motus. Ut rex Macedoniae Demetrius sit a Dardanis fusus.* Qui rex Demetrius II regnavit a. C. 239—229. Inde Bastarnas ab aquilone regni Macedonici sinistra ripa Danuvii per longum tempus fuisse traditur. Plut. Aem. P. 9 ὑπεκίνει δὲ καὶ Γαλάτας τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον οἰκημένους, Βαστέρναι καλοῦνται, στρατὸν ἱππότην καὶ μάχιμον. Appiani Ill. 22. Dion. Per. 303 schol. Danuvium saepius transibant diripiendi causa aut mercenarii. Liv. XL 57, 2 *nam post paucis diebus gens Bastarnarum diu sollicita ab suis sedibus magna peditum equitumque manu Istrum traicit.* Dion. 51, 23 Βαστάρναι δὲ Σκύθαι τε ἀκριβῶς νενομίδαται, καὶ τότε (sub Augusto) τὸν Ἴστρον διαβάντες τήν τε Μυσίαν τὴν καταντιπέρας σφῶν καὶ μετὰ τοῦτο καὶ Τριβάλλους ὁμόρους αὐτῇ ὄντας . . . . ἐχειρώσαντο. Scymnus v. 793 eos inter Tyram et Istrum enumerat addens eos nondum diu ibi esse, Βαστάρναι τ' ἐπήλυδες. Id Müllenh. II p. 104 summa probabilitate ex Demetrio Callatino sumptum esse demonstrat, cuius aetati vox ἐπήλυδες apta est. cf. anon. per. 63. Dum in his sedibus erant Mithradates cum eis bellavit, Plut. de fort. Rom. 11; ibidem Strabo (p. 117. 128. 289. 294. 296. 306), cuius auctores Mithradaticorum scriptores sunt, eos ponit. Peucini qui Peucen insulam inter Danuvii ostia sitam incolebant (Strabo 305. Tac. Germ. 46) ea pars Bastarnarum sunt quae maxime ad meridiem vergit. Moesia postquam subacta est finitimi Romanorum facti sunt, qua de causa Augustus eos dignos putavit quos in indice rerum a se gestarum commemoraret, τὴν ἡμετέραν φιλίαν ἠξίωσαν διὰ πρέσβεων Βαστάρναι καὶ Σκύθαι. Introrsus fines latissimos habebant quorum amplitudo sensim Romanis innotuit. Strabo p. 306 in universum dicit ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ Βαστάρναι μὲν τοῖς Τυρεγέταις ὅμοροι καὶ Γερμανοῖς. Accuratius Plinius IV 100 ita disputat: *quinta pars* (Germanorum)

Peucini, Basternae supra dictis contermini Dacis, et IV 81 *a Maro (sive Duria est a Suebis regnoque Vanniano dirimens eos) aversa Bastarnaei tenent aliique inde Germani.* Imperator Traianus Dacia subacta eos longius ad septemtrionem removit, ita ut Ptol. III 5, 7 dicere possit καὶ ὑπὲρ τὴν Δακίαν Πευκίνοι τε καὶ Βαστέρναι, ut Tabula Peutingeriana eos ad Alpes Bastarnicas ponat, ut Jordanes Get. XII 74 dicat *Haec Gotia, quam Daciam appellavere maiores, quae nunc, ut diximus, Gepidia dicitur, ... a septemtrione Sarmatae et Basternae segregantur.* Partem Bastarnarum imperator Probus in Thraciam, quae incolas continuis bellis magnam partem amiserat, transtulit, Zosim. I 71. Vop. Probus 18. Horum Bastarnarum vestigium habemus castellum Βαστέρνας ad Danuvium sitam, Proc. de aedif. IV 11, p. 307 Dind.

Vides hac descriptione Valerium cum reliquis scriptoribus consentire. De tempore quo auctor scripserit inde nihil colligere possumus, quod Bastarnae inde ab anno a. C. 200 usque ad mortem Valerii easdem fere sedes habebant.

Bessi (II 231). Bessi Thraciae gens sedes numquam mutaverunt. Erant haud procul a Tomis, Ovid. Trist. IV 1, 67.

vivere quam miserumst inter Bessosque Getasque!

Recte Ovidius eos una cum Getis appellat. Poetae Bessos non noverunt, ut Getas aut Hyrcanos; cur Antipater Thessal. (A P. IX 428) et Ovidius (l. c. Trist. III 10, 5) eos ut finitimos commemorent nemo non videt; Lucanus V 441 eos affert, quod in bellis Caesaris commemorantur (Caes. b. c. III 4, 6). Valerius igitur eos ex auctore petivit ut alias Thracum gentes Getarum, Bisaltarum, Corallorum, Coelaletarum. Etiam immanitatem quam eis exprobrat non de suo addit, quamquam talia epitheta barbaris gentibus sine causa tribuuntur. Strabo p. 318: εἶθ' οἱ περὶ τὸν Αἷμον καὶ οἱ ὑπὲρ αὐτοῦ οἰκοῦντες μέχρι τοῦ Πόντου Κόραλλοι καὶ Βέσσοι καὶ Μαίδων τινὲς καὶ Δανθηλητῶν. Πάντα μὲν οὖν ταῦτα ληστρικώτατα ἔθνη, Βέσσοι δέ, οἵπερ τὸ πλέον τοῦ ὄρους νέμονται τοῦ Αἵμου, καὶ ὑπὸ τῶν ληστῶν λησταὶ προσαγορεύονται, καλυβῖταί τινες καὶ λυπρόβιοι, συνάπτοντες τῇ Ῥοδόπῃ καὶ τοῖς Παίοσι καὶ τῶν Ἰλλυριῶν τοῖς τε Αὐταριάταις καὶ τοῖς Δαρδανίοις. Amm. XXVII 4, 11 *imperator Lucullus, qui cum durissima gente Bessorum conflixit omnium primus.* Graecis Bessi antiquitus noti erant, Herod. VII 111; Herodotus autem eos non immanes

describit. Inter Herodotum et Strabonem praeter Polyb. XXIV 6, 4 = Liv. XXXIX 53, 12 nemo eos commemorat. Graeci igitur, ut erant gens navibus pollens, parum eos respexerunt; contra Romani plura de eis compererunt vi eos temptantes. Amm. l. c. Eutrop. VI 10: *alter autem Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum atque eos ingenti proelio in Haemo monte superavit.* Huius expeditionis descriptionem e Sallustio haustam esse Servius nos docet, ad Aen. VII 604: *Getarum, inquit, gens fera etiam apud maiores fuit; nam ipsi sunt Moesi quos Sallustius a Lucullo superatos esse dicit.* De Bessis praeter scriptores allatos cf. Suet. Aug. 3. Ptol. III 11, 6. App. Ill. 16. Cic. in Pis. 34. Plin. IV 40. Dio Cass. 47, 25. 51, 25. 54, 34. Capitol. Marcus 22. Veget. II 11. IV 23. Mart. Cap. VI 656. Jord. Rom. 335. Get. XII 75. Procop. Goth. II p. 251[15]. Dind. Bullett. dell' Inst. Archeol. 1843 p. 131.

Bisaltae (VI 48). Bisaltas in pugnantium numero esse quamquam remotissimos a Colchide non miramur postquam Coelaletarum, Bessorum, Corallorum nomina nos docuerunt Valerii auctorem etiam omnem Thraciam descripsisse. Bisaltae ad Strymonem siti sunt, quem item Valerius commemorat. Non statuendum est Valerium Bisaltas poetae alicui debere, velut Vergilio Ge. III 461, quia scutorum descriptio VI 55 ss. optime cum eis concinit quae auctor de Bastarnis, Caspiis, Torynis, Hiberis, Sarmatis nobis proponit. Valerium scutorum Romanorum descriptionem in Bisaltas transtulisse nemo credet. De Bisaltarum situ ad Strymonem inferiorem v. Diod. 31, 8, 8. 12, 68, 5. Lycophr. 417. Herod. VII 115. Liv. XLV 30, 3. 29, 6. Plin. IV 38. 40.

Byces (VI 68). Scriptura Byzes qua Langenus ad VI 67 utitur non recta est: Plin. IV 84. 88 eum Bugem appellat, Mela II 1, 2. Bucem, Ptol. III 5, 2. 3. 11. Marcian per. II 38 Βύκην. Valerius Bycen. Eorum descriptiones nos docent lacum Bycen eam partem Maeotidis ad Chersonnesum Tauricam adiacentem esse, quam hodie mare putridum vocant. Unus Plinius levi errore, cuius causa facile delegitur, commisso rem turbat. Dicit IV 84 *Ipse Buges a Coreto Maeotae locus sinu petroso discluditur dorso. recipit amnes Bugem Gerrhum Hypanim.* Qui Hypanis neuter eorum fluviorum est quos hodie Bug et Kuban vocamus, sed tertius in Bugem lacum influens, de quo unus Plinius auctor est. At erravit Plinius. Descriptio quam ipse addit probat hunc Hypanim [1]) non Plinii errore natum esse: *Hypanis per Nomadas et Hylaeos fluit manu facto alveo in Bugen, naturali in Coretum.* Jam duobus illis fluviis eius nominis satis evincitur Hypanim usitatum nomen Scythicum fluviorum fuisse. Hanc veram descriptionem error sequitur: *regio Scythiae Sindica nominatur.* Hic Plinius eum Hypanim qui in Sindica paene insula in Bosporum Cimmerium se proicit, confundit cum eo quem modo descripsit.

Non dubito quin incolae coloniarum Graecarum circum iacentium Bycen lacum inde ab antiquis temporibus noverint; sed de iis utendum est Strabonis sententia, p. 686 οὗτοι δ'ἰδιῶται καὶ οὐδὲν πρὸς ἱστορίαν τῶν τόπων χρήσιμοι. Diu nihil in libris de Byce lacu reperiebatur; primus Strabo eum novit et accurate describit, p. 308, eodem nomine usus quo adhuc vocatur, σαπρὰ λίμνη. Tamen neque fluviorum in eum influentium ullum novit, neque nomen *Byces*, quod primum apud Melam legitur. Hae res sensim innotuerunt. Mela, qui librum suum paulo post a. 40 aut 44 edidit, fluviorum qui in eum influunt unum Bucem novit. Reliqui igitur fluvii a Byce lacu recepti post Melam innotuerunt expeditione illa anno 49 suscepta. Plinius et Valerius hunc lacum et fluvios ab eo receptos norunt, i. e. auctores eorum post annum 49 scripserunt.

Coelaletae (VI 81). Certissima Thilonis emendatio est. Coelaletae non ante primum p. Chr. saeculum commemorantur; hic quoque apparet Valerii auctorem Sallustio recentiorem esse. Tac. ann. III 38 *nam Thracia ..... discors agebat..... Coelaletae Odrysaeque et Dii, validae nationes, arma cepere, ducibus diversis et paribus inter se per ignobilitatem; quae causa fuit, ne in bellum atrox coalescerent. Pars turbant praesentia, alii montem Haemum transgrediuntur, ut remotos populos concirent; plurimi ac maxime compositi regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circum-*

1) Nomen errore ex eo Hypani translatum esse quem Bug appellamus extra dubitationem positum est; similem rem s. v. Gerrhus exposui. Auctorem erroris non Plinium esse inde discimus quod et Ptolemaeus eum Hypanium quem Bug appellamus per errorem inter Borysthenem et Maeotidem ponit.

sistunt Plin. IV 41 *Celaletae* (leg. *Coelaletae*) *maiores Haemo, minores Rhodopae subditi*. Cf. Van den Gheyn, les populations Danubiennes p. 60. Ptol. III 11, 6 Στρατηγίαι δὲ εἰσὶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ πρὸς μὲν ταῖς Μυσίαις καὶ περὶ τὸν Αἶμον τὸ ὄρος ἀρχομένοις ἀπὸ δυσμῶν Δανθηλητική, Σαρδική, Οὐσδικησική, Σελλητική, πρὸς δὲ τῇ Μακεδονίᾳ καὶ τῷ Αἰγαίῳ πελάγει ὁμοίως στρατηγίαι Μαιδική, Δροσική, Κοιλητική, Σαπαϊκή, Κορπιλική, Καινική. Situm huius gentis recte depinxit Kiepert. atl. ant. Tab. V B fg. Quae de Coelaletis narrat Valerius admodum variae originis sunt, neque de auctore geographico quaeri potest. Coelaletas plaustra habitare ex Scytharum descriptionibus apud poetas repertis satis inepte transtulit [1]); nam quae apta sunt Scythis immensam planitiem tenentibus non apta sunt genti quae fines montibus refertos et inclusos incolit. Prudenter Horatius ad III 24, 9 ss. Scythis tribuit quod Scytharum erat:

campestres melius Scythae
quorum plaustra vagas rite trahunt domos,

et Sallustius hist. III 73 *Scythae Nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.* Mirum in modum *sutilis domus* simile est loci Aeschylei, Prom. 707 ss.

Σκύθας δ'ἀφίξῃ νομάδας, οἱ πλεκτὰς στέγας
πεδάρσιοι ναίουσ' ἐπ' εὐκύκλοις ὄχοις
ἑκηβόλοις τόξοισιν ἐξηρτυμένοι·

Haec res igitur antiquitus nota et apud poetas usitata est. Item cateia, quod telum Valerius Coelaletis tribuit, non ex auctoris descriptione sumpta est, sed e Vergilio, Aen. VII 741

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Coralli (VI 89). De Corallorum sedibus sufficiunt quae Langenus ad VI 89 disputat. Addo locis ab eo allatis Liv. XXXVIII 40, 7 *ita cum per saltum iret, Thracum decem haud amplius milia ex quattuor populis, Astii et Caeni et Maduateni et C o r e l i, ad ipsas angustias viam circumsederunt.* Reinachius in situ depicto eos nimis in mediterraneas regiones removet. Non cogitandum

---

1) De Scythis ipsis hoc narrat VI 331.

est de oppido Κόραλλα apud Cerasuntem sito, Arr. per. 24. Anon. per. 36. Quae de signis Corallorum narrantur a Germanis translata sunt. Tac. hist. IV 22 *hinc veteranarum cohortium signa, inde depromptae silvis lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire proelium mos est.* Germ. 7 *effigiesque et signa quaedam detracta lucis in proelium ferunt.* Plut. Marius 26 Cimbros taurum aeneum secum gessisse narrat [1]). Porro quis est qui nesciat Germanos proelia non concentu cornuum sed barritu illo commisisse [2]). Simulacra Jovis iam Wagnerus recte explicavit.

Danuvius (IV 718). Argonautas in Istrum intrasse, et inter Istri ostia Peucen insulam sitam esse Apollonium secutus Valerius narrat. Tamen auctorem geographicum adhibuit Istro septem ostia tribuens. Istrum *quinque* ostia habere tradunt Herod. IV 47. Ephorus fr. 77. Scymnus 775. Dion. Per. 301. Avienus 440. Priscianus per. 290. Arrianus anab. I 8. V 4. Arrianus peripl. 31. Anon. peripl. 63. Claud. b. Get. 387. de IV cos. Hon. 63. de bell. Poll. 337. *Septem* ostia tradunt Ptol. III 10. Strabo p. 305. Mela II 1, 7. Tac. Germ. 1. Amm. XXII 8, 44. Sidonius carm. V 471 (e Valerio) Isid. orig. XIII 21. Solinus 13. Dicuil. VII 8. Ovid. trist. II 189. Val. Flacc. IV 718. VIII 185. Stat. silv. 5, 318. Silius III 131. Vib. Sequ. p. 7. Tabula Ebstorfiana 5. Ex hac enumeratione locorum discitur Graecos scriptores (et Latinos ab eis pendentes) quod antiquioribus auctoribus nituntur, quinque ostia tradere, Latinos scriptores (et Graecos qui ab eis aut ab expeditionibus a Romanis susceptis pendent), septem ostia, quod imperio aucto illas res melius perspiciebant. Item Latinae originis sex ostia sunt, Plin. IV 79. Tab. Peut. Tria ostia, quae schol. Ap. IV 306 tradit, illa tria gravioribus navibus apta sunt quae nos quoque in ludo ediscere solemus. Ovidius primus est, apud quem septem ostia reperiuntur, neque est cur contendamus septem ostia ante id tempus nota fuisse quo Moesia ab Augusto subacta est.

Versum IV 718

---

1) Cf. Arnold, Deutsche Urzeit, ed. III p. 282.
2) Cf. Arnold p. 437.

non septemgemini memorem quas exitus Histri

formavit Valerius ad similitudinem versus Vergiliani, Aen. VI 80

et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

ad rem ipsam depingenham Vergilii versus non valuit.

Geloni (VI 512. VII 236). Gelonis saepe poetae utuntur ut populum quam remotissimum significent: velut Claudianus decies eis ita utitur; tamen non dubito quin Valerius in eis commemorandis auctorem secutus sit, nam in libro sexto inter pugnantes ne unam quidem gentem repperi quae non ex chorographia sumpta sit: in reliquis libris saepius poetice barbaras gentes appellat, cuius rei vestigium in sexto libro non reperitur. Geloni earum gentium sunt quas omnes scriptores ex Herodoto petiverunt nihil novi addentes. Plin. IV 88 *a Taphris per continentem introrsus tenent Auchetae apud quos Hypanis oritur, Neuroe apud quos Borysthenes, Geloni, Tyssagetae, Budini.* Quae gentes omnes ad unam ex Herodoto petitae sunt. Plus quam Plinius Valerii auctor de eis non narravit, neque Valerius quicquam maioris momenti de hac gente refert.

Gerus (VI 67) Reliqui auctores hunc fluvium Gerrhum vocant, unus Valerius metrica ratione adductus scribit Gerus. v. s. Bastarnae. Recte Valerius hunc Gerrhum una cum Byce lacu commemorat, quia, ut illius aevi geographi putabunt, in hunc lacum se proicit. Plin. IV 84 *Buces .... recipit amnes Bucem, Gerrhum, Hypanim, ex diverso venientes tractu.* Item Ptol. III 5,3 Gerrhum in Bucem lacum influentem facit. De Gerrho fluvio in Bucem influente primus auctor nobis Plinius est; Mela lacum et amnem Bucem novit, Gerrhum eodem modo describit quo Herodotus IV 19 et IV 56, qui de hoc fluvio primus auctor est. Consentaneum est Gerrhum Herodoti eundem esse atque Plinii Valeriique, descriptio autem non omnis[1]) eadem est, cum Herodoti

---

1) pars ad verbum fere concinit cum Herodoto et Mela. Plin. IV 84 *nam Gerrhus Basilidas et Nomadas separat.* Mela I, 1, $_4$ *nam Gerrhos inter Basilidas et Nomadas evolvitur.* Herod. IV 56 Γέῤῥος, ῥέων δ'ἐς θάλασσαν οὐρίζει τήν τε τῶν Νομάδων χώρην καὶ τὴν τῶν Βασιληίων Σκυθέων.

Gerrhus ab Hypacyri receptus in sinum Carcinitem sese effundat. Res ita videtur fuisse, ut Romani, qui anno 49 in illas regiones venerunt, Gerrhi nomen eorum fluviorum cuidam dederint, qui in Bucem lacum influunt, credentes Herodotum (vel potius geographos ab eo pendentes) eum significare: qui error facile nasci potuit quod Buces proxime accedit ad Carcinitem sinum. Expeditio illius anni 49 descriptiones illarum regionum multis novis nominibus ditavit: Mela qui librum suum a. 40 vel 44 edidit veteribus descriptionibus nititur, Plinius, qui a. 77 librum Tito dedicavit, novis. Ita discrepantia facile explicatur. Valerii auctorem, qui item nova descriptione utitur, post a. 49 scripsisse inde apparet.

Ab hoc Gerrho separandus est alter qui in mare Caspium influit, Ptol. V, 12,2.

Getae. De Getis Valerius nihil narrat quod eorum proprium sit. Sesostrim Getas bello petisse ex Herodoto II 103 desumpserunt scriptores: διεξήιε τὴν ἤπειρον, ἐς δ ἐκ τῆς Ἀσίης ἐς τὴν Εὐρώπην διαβὰς τούς τε Σκύθας κατεστρέψατο καὶ τοὺς Θρήικας. ἐς τούτους δέ μοι δοκέει καὶ προσώτατα ἀπικέσθαι ὁ Αἰγύπτιος στρατός. ἐν μὲν γὰρ τῇ τούτων χώρῃ φαίνονται σταθεῖσαι αἱ στῆλαι, τὸ δὲ προσωτέρω τούτων οὐκέτι. ἐντεῦθεν δὲ ἐπιστρέψας ὀπίσω ἤιε, καὶ ἐπείτε ἐγίνετο ἐπὶ Φάσι ποταμῷ κ. τ. λ. Ex simplici re ἐντεῦθεν δὲ ἐπιστρέψας ὀπίσω ἤιε Valerius poetica licentia fingit Sesostridem clade suorum territum exercitum reduxisse, V 419. Reliqua e chorographia hausta non sunt. Terram asperorum Getarum Martis sedem esse saepe legimus, ut Verg. Aen. VII 35. Stat. Th. III 221. Auson. epigr. I 7. Acerbissime in eos invehit Ovidius in Tristiis et ex Ponto carminibus.

VI 618 Valerius Martem *Geticis ab antris* venientem facit, quae res nullius momenti est. Nusquam traditur aut omnes Getas aut partem eorum trogodytas fuisse. Poetae vocabulo antri saepius utuntur ut nomen terrae aut regionis non simpliciter et aperte, sed per ambitum verborum describant; de ipsius vocabuli vi omnino nihil iam superest in tali conexu. Cf. Rothstein. ad Propert. I 1,$_{11}$. Valerius hoc vocabulum valde adamasse videtur, quater eo ita utitur ut descripsi, VI 618. VI 79. I 576. II 318.

Hebrus. Hebrus Thessaliae fluvius poetis notus est; tamen Valerius adhibuit chorographiam IV 463 fluvium divitem appellans. Jam de Vitus cognovit Hebrum ita dictum esse quia aurum vehat. Plin. XXXIII, 21 *aurum invenitur in nostro orbe, ut omittamus Indicum a formicis aut apud Scythas grypis erutum, tribus modis: fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Pado Italiae, Hebro Thraciae*, etc. Patet Valerium eam rem chorographiae debere, poetis non nota erat ut Pactoli aurum. Item Seneca Herc. Oet. 627 geographico auctore usus est.

Hister. v. s. v. Danuvius.

Hylaea (VI 74) Hylaea paene est insula silvis consita, quae ab occidente fluminis Borysthenis ostio adluitur. Herod. IV 9. 18. 54. 55. 76. Scymn. 845 (= Ephor. fr. 78; inde Anon. per. 47). Commemorat eam etiam Steph. Byz. s. v. Ὑλαία. Non satis perspicue Plinius IV 83 s. tradit Hylaeam in dextra quoque ripa fuisse. Plinius erroris convincitur Melae descriptione, II 1, 5, et Olbiae titulo quodam, IPE Olbia No. 17 v. 13, qui decretum de Nicerato quodam continet: Τούς τε διὰ παντὸς ἐπεγει[ρ]ομ[έ]νους ἐπὶ τ[ὴ]ν [π]όλιν πολεμίους [ἀμυνόμενος καὶ σωτήριο]ς ὢν τοῖς πολείταις [κ]ατὰ τὸ πλεῖστον [ἐν] ἀσφαλ[ε]ίᾳ τὰ τῆς πατρί[δο]ς πρά[γματα κατέστησε, σωφρό]νως μὲν βουλευόμενος ἕκαστα, ἄμεινον δὲ ἐπιτ[ε]λῶν τὰ δοχθέντ[α. τὸ δὲ τελευταῖον διαβά]ντων εἰς τὴν Ὑλαίαν τῶν πολειτῶν οὐδὲν το[ύ]τους τοῦ προνο[ε]ῖ[ν[τῆς [σωτηρίας ἀπέλιπεν· οἰόμενο]ς [1]) γὰρ τῇ ἑαυτοῦ παρουσίᾳ τοὺς ὄχλους εὐφυλακτοτέ[ρ]ο[υ]ς [ἔ]σεσ[θαι μετά [1]) στρατεύματος (?) κ]αὶ τῆς καθηκούσης ἀκολουθίας παραγενόμενος αὐτόθι προεφύλασσεν. Adnotat editor: „conligendum videtur ex titulo Olbiopolitas Hylaeam possedisse, quamquam in eam transitus fuerit periculosus; cur autem frequentes illuc venerint (v. 14 τοὺς ὄχλους) incertum“ [2]). Ergo Hylaeam in sinistra ripa fuisse nemo iam dubitabit.

Descriptionem Hylaeae, VI 76

Densior haut usquam nec celsior extulit ullas

1) Supplevit Kaibelius.

2) Celebrabant Ἀχίλλεια; cf. Dionis Borysth. cap. 9. δρόμος Ἀχιλλέως erat pars Hylaeae.

silva trabes fessaeque prius rediere sagittae

⟨arboris ad summum quam pervenere cacumen⟩

Valerius chorographiae debet, cf. Melam II 1, 5 *silvae deinde sunt quas maximas hae terrae ferunt.* Rem chorographiae debet, verba Vergilio, Ge. II 123

gerit India lucos

extremi sinus orbis, ubi aera vincere summum

arboris haut ullae iactu potuere sagittae.

Herod. IV 76 hanc regionem ita describit: καταδὺς ἐς τὴν καλεομένην Ὑλαίην (ἡ δ' ἐστὶ μὲν παρὰ τὸν Ἀχιλλήιον δρόμον, τυγχάνει δὲ πᾶσα ἐοῦσα δενδρέων παντοίων πλέη) κ. τ. λ.

Hypanis. Tres [1]) Scythiae fluvii Hypanis vocantur. Valerius IV 719 eum significare videtur, qui hodie Bug vocatur [2]); VI 147 eum dicit cui hodie nomen Kuban est, v. s. Exomatae. Neutrum accuratius describit.

Jazyges. De Jazygibus duas res Valerius nos docet, VI 122

expertes canentis Jazyges aevi.

VI 328

imus equis qua vel medio riget aequore pontus

vel tumida fremit Hister aqua.

Apud Jazyges moris fuisse ut senes interficerent nusquam legitur quamquam saepissime Jazyges commemorantur. Tamen inde non sequitur haec ab alia gente translata esse, praesertim cum hanc immanitatem multarum gentium ferarum, ut Jazyges tum erant, propriam fuisse et ab antiquis et a nostratibus scriptoribus tradatur. Addo locis a Langeno allatis [3]) nonnullos ubi eadem res legitur. Plut. de Alexandri s. virt. s. fort. I 5 καὶ Σογδιανοὺς ἔπεισε πατέρας τρέφειν καὶ μὴ φονεύειν. Similiter Herod. I 216 de Massagetis: οὖρος δὲ ἡλικίης σφι προκέεται ἄλλος μὲν οὐδείς· ἐπεὰν δὲ γέρων γένηται κάρτα, οἱ προσήκοντές οἱ πάντες συνελθόντες θύουσί μιν καὶ ἄλλα πρόβατα ἅμα αὐτῷ, ἑψήσαντες δὲ τὰ κρέα κατευωχέονται (inde Euseb. Praep. 11^d, inde Hieron. adv.

1) Cf. p. 65.

2) Cf. p. 48.

3) Vehementer suspicor Silii locum a Langeno allatis e Valerio haustum esse, ita ut res in Hispanos translata sit.

Jov. II 7). Idem fere de Issedonibus Mela II 1, 9 (inde Solin. 84) de Sardis Timaeus (ap. schol. Plut. resp. 337[a]) narrat. Tabula Ebstorfiana 7: *Massagete et Derbees miserrimos putant qui egrotacione moriuntur parentes et amicos cum ad senectutem venerint iugulant et devorant.* Cum res apud tot gentes feras inveniatur non est cur dicamus Valerium eam ex Herodoto sumpsisse, praesertim cum reliqua, quae de Jazygibus proponat, vera sint. Suo iure Valerius Jazyges equites esse narrat (*imus equis*), cf. Tacit. hist. III 5 *principes Sarmatarum Jazugum, penes quos civitatis regimen, in commilitium adsciti. plebem quoque et vim equitum, qua sola valent, offerebant.* Sedes quoque Jazygum recte describit Valerius, nescio cur Langenus ad VI 329 contendat eos non prope Istrum habitare, fortasse commotus Strabonis auctoritate, quae non pertinet ad Valerii aetatem. De migratione Jazygum occidentem versus nonnulla nobis tradita sunt. Omnino credi non potest eos ortos esse ab Exomatis, u. v. (p. 42). Trans Tanain Jazyges non novimus, Pompeius non eos videtur dicere sed Zygos, apud Diod. 49, 4 Ἀχαιοὺς Ἰοζυγοὺς Σοανοὺς Ἡνιόχους καὶ τὰ λοιπὰ φῦλα τὰ μεταξὺ Κολχίδος καὶ Μαιώτιδος λίμνης τὴν παραλίαν διακατέχοντα καὶ τοὺς τούτων βασιλεῖς ἐννέα τὸν ἀριθμὸν κ. τ. λ. Apparet hic de populis Caucasum incolentibus agi. Mithradatis aetate Istrum nondum attigerunt, cf. quae s. v. Sarmatae exposui (p. 80). Ex Appiano Mithr. 69 συμμαχοί τε αὐτῷ προσγίγνονται . . . περάσαντι δ'ἐς τὴν Εὐρώπην Σαυροματῶν οἵ τε Βασίλειοι καὶ Ἰάζυγες καὶ Κόραλλοι καὶ Θρᾷκες ὅσα γένη παρὰ τὸν Ἴστρον ἢ Ῥοδόπην ἢ τὸν Αἷμον οἰκοῦσι, καὶ ἐπὶ τοῖσδε Βαστέρναι minime sequitur Jazyges ad Istrum fuisse, sed ubi Strabo eos ponit, p. 306 ἡ δὲ ὑπερκειμένη πᾶσα χώρα τοῦ λεχθέντος μεταξὺ Βορυσθένους καὶ Ἴστρου πρώτη μέν ἐστιν ἡ τῶν Γετῶν ἐρημία, ἔπειτα οἱ Τυρεγέται, μεθ' οὓς οἱ Ἰάζυγες Σαρμάται καὶ οἱ Βασίλειοι λεγόμενοι καὶ Οὖργοι, τὸ μὲν πλέον νομάδες, ὀλίγοι δὲ καὶ γεωργίας ἐπιμελούμενοι· τούτους φασὶν καὶ παρὰ τὸν Ἴστρον οἰκεῖν, ἐφ' ἑκάτερα πολλάκις. p. 294 τί δ'ἐστὶ πέραν τῆς Γερμανίας καὶ τί τῶν ἄλλων ἑξῆς, εἴτε Βαστάρνας χρὴ λέγειν, ὡς οἱ πλείους ὑπονοοῦσιν, εἴτ' ἄλλους μεταξὺ ἢ Ἰάζυγας ἢ Ῥωξολανοὺς ἤ τινας ἄλλους τῶν ἁμαξοίκων οὐ ῥᾴδιον εἰπεῖν. Strabo igitur eos partem septemtrionalem eius terrae incolere dicit quae Istro et Borysthene includitur, ut videtur prope Alpes Bastarnicas. Situm eorum recte

depinxit Reinachius. Strabonem vetustiores scriptores secutum esse non in obscuro est. Ipsius aetate Jazyges ad Istrum pervenisse videntur, cuius rei Ovidius optimus testis nobis est. Ibis 135. ex P. I 2, 79. IV 7, 9:

> *ipse vides, onerata ferox ut ducat Jazyx*
> *per medias Istri plaustra bubulcus aqua.*

Cum Dacis discordantes eos reperimus apud Plin. IV 80, Moesiae provinciae vicinos Tacitus eos inducit, hist. III 5. Optimo igitur iure Valerius Jazyges ad Istrum ponit, auctorque eius ante Ovidii exilium scripsisse non videtur. Inde ab altera parte primi p. C. saeculi Jazyges introrsus adverso flumine Istro migrabant; Tac. ann. XII 29 narrat eos Vannio regi Sueborum auxilia equestria praebuisse. Ptol. III 7, 1 Jazygas Metanastas inter Tisiam et Danuvium ponit. In bello a Marco principe adversus Marcomannos gesto copiae eorum saepissime una cum Marcomannis et Quadis appellantur, ut a Dione Cassio 71, 7—16.

Pars eorum in prioribus sedibus remansit, Ptol. III 5, 7. Ammianus XXII 8, 31 antiquos scriptores secutus huius rei testis non est. Inde migranti parti Jazygum nomen Μετανάσται inditum est.

Latris (VI 121). Nomen Latris Scythae a vocabulo λάτρις fictum abhorret a consuetudine Valerii. Hoc nomen ut multa alia originem repetit a chorographia. Plin. IV 97 *quidam haec habitari ad Vistlam usque fluvium a Sarmatis, Venedis, Sciris, Hirris tradunt, sinum Cylipenum vocari et in ostio eius insulam Latrim.* Est igitur insula in oceano septemtrionali sita, fortasse ea, quam hodie Oesel vocamus. Haec insula in chorographia Valerii descripta gravissimum testimonium est hunc librum non ante medium p. C. saeculum primum conscriptum esse; Mela eam nondum novit, nedum Strabo. Praeterea inde luce clarius apparet totum Europae ambitum in illa chorographia descriptum fuisse.

Lycus. Recte Vossius emendavit *Lycus*, quod et proxime ad tradita accedit et re flagitatur, quia illo loco IV 719 de fluviis agitur a septentrione in Pontum et Maeotidem influentibus, *Hister, Tanais, Lycus, Hypanis, Novas, Maeotis.* Cf. s. v. Novas (p. 48). In his fluviis Lycus ille Bithyniae fluvius ineptissime ponitur, qua de causa nonnulli viri docti, quos haec difficultas non fugit,

haud inepte coniciebant Tyres. Est autem re vera fluvius Lycus in Maeotidem se proiciens, Herod. IV 123. Ptol. III 5, 4, itaque neque de Lyco Bithyniae neque de Tyra cogitandum est.

Maeotis. Duas res adnotat Valerius in Maeotide commemoranda. VI 38

neque enim plaga gentibus ulla
ditior.

Quicumque longum indicem gentium circa Maeotidem habitantium legit ita dicere potuit; tamen harum ipsarum gentium numerum geographi extulerunt, velut Steph. Byz. Μαιῶται, ἔθνος Σκυθικὸν μέγιστον καὶ πολυάνθρωπον. (Maeotae non una gens sunt, sed hoc nomine complures complectuntur, cf. Strabon. p. 494 διήρηνται δὲ εἰς ἔθνη πλείω. Solin. 95 *dives virum terra, frequens populis numerosis et immanibus.* His duobus locis cum illo Valerii versu coniunctis nisi statuimus Valerium haec dicentem a chorographia pendere. Verba ad numerum Maeotarum extollendum (VI 36—39) Vergilius ei subministravit, VI 625 ss.

Multo graviora ea sunt, quae IV 714 ss. legimus de causis cur Maeotis et Pontus tantam vim aquae effundant. Verba Valerii „cesserunt litora" Langenus male interpretatus est. Uberrime verba Valerii explicata invenies apud Polybium IV 39. § 1 Ὁ δὴ καλούμενος Πόντος ἔχει τὴν μὲν περίμετρον ἔγγιστα τῶν δισμυρίων καὶ δισχιλίων σταδίων, στόματα δὲ διττὰ κατὰ διάμετρον ἀλλήλοις κείμενα, τὸ μὲν ἐκ τῆς Προποντίδος τὸ δὲ ἐκ τῆς Μαιώτιδος λίμνης, ἥτις αὐτὴ καθ' αὑτὴν ὀκτακισχιλίων ἔχει σταδίων τὴν περιγραφήν. § 2 εἰς δὲ τὰ προειρημένα κοιλώματα πολλῶν μὲν καὶ μεγάλων ποταμῶν ἐκ τῆς Ἀσίας ἐκβαλλόντων, ἔτι δὲ μειζόνων καὶ πλειόνων ἐκ τῆς Εὐρώπης, συμβαίνει μὲν Μαιῶτιν ἀναπληρουμένην ὑπὸ τούτων ῥεῖν εἰς τὸν Πόντον διὰ τοῦ στόματος, τὸν δὲ Πόντον εἰς τὴν Προποντίδα. § 3 καλεῖται δὲ τὸ μὲν τῆς Μαιώτιδος στόμα Κιμμερικὸς Βόσπορος, ὃ τὸ μὲν πλάτος ἔχει περὶ τριάκοντα στάδια, τὸ δὲ μῆκος ἑξήκοντα, πᾶν δ'ἐστὶν ἁλιτενές . . . . § 7 τοῦ δὲ ῥεῖν ἔξω κατὰ τὸ συνεχὲς τήν τε Μαιῶτιν καὶ τὸν Πόντον εἰσὶν αἰτίαι διτταί, μία μὲν αὐτόθεν καὶ πᾶσι προφανής, καθ' ἣν, πολλῶν εἰσπιπτόντων ῥευμάτων εἰς περιγραφὴν ἀγγείων ὡρισμένων, πλεῖον ἀεὶ καὶ πλεῖον γίνεται τὸ ὑγρόν. § 8 ὃ μηδεμιᾶς μὲν ὑπαρχούσης ἐκρύσεως δέον ἂν ἦν προσαναβαῖνον ἀεὶ μείζω καὶ πλείω τοῦ κοιλώματος περιλαμβάνειν

τόπον, ὑπαρχουσῶν δ'ἐκρύσεων ἀνάγκη τὸ προσγινόμενον καὶ πλεονάζον ὑπερπῖπτον ἀποῤῥεῖν καὶ φέρεσθαι συνεχῶς διὰ τῶν ὑπαρχόντων στομάτων· § 9 δευτέρα δέ, καθ' ἥν, πολὺν καὶ παντοδαπὸν χοῦν εἰσφερόντων εἰς τὰ προειρημένα κοιλώματα τῶν ποταμῶν κατὰ τὰς τῶν ὄμβρων ἐπιτάσεις, ἐκπιεζόμενον τὸ ὑγρὸν ὑπὸ τῶν συνισταμένων ἐγχωμάτων ἀεὶ προσαναβαίνει καὶ φέρεται κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον διὰ τῶν ὑπαρχουσῶν ἐκρύσεων. § 10 τῆς δ'ἐγχώσεως καὶ τῆς ἐπιρρύσεως ἀδιαπαύστου καὶ συνεχοῦς γινομένης ἐκ τῶν ποταμῶν, καὶ τὴν ἀπόρρυσιν ἀδιάπαυστον καὶ συνεχῆ γίνεσθαι διὰ τῶν στομάτων ἀναγκαῖον. Sequentibus capitibus Polybius rem etiam accuratius tractat. Litora limo promoveri iam vetustiores viri docti cognoverant, velut Herodotus II 5 Aegyptum inferiorem donum Nili appellat. Cf. II 11. 15. Vides ex Polybio, quam accurate geographi tales res tractaverint. Cf. Strab. p. 49. 51. Diod. V 47. Maximi Tyr. λόγον 32, 3. Arist. Meteor. I 14. Jam diu cognitum erat Maeotidis aquas in Pontum magno impetu fluere, unde Herod. IV 86 Maeotidem matrem Ponti appellat. Maeotidem et Pontum multis fluminibus ingentem vim aquae invehentibus paene dulcem aquam continere neque salsi esse saporis facile intellegitur et iam pridem intellegebatur. Observaverunt hanc rem Polyb. IV 41, 3. Strabo p. 50. Arrian. peripl. 10. Macrob. Sat. VII 2. Amm. XXII 8, 46. Philostr. imag. I 13. Curt. VI 4, 18. Plin. IX 49. Sall. hist. III 65. Valerius igitur IV 721 hanc quoque rem chorographiae debet; nebularum quoque mentionem (IV 729) inde sumpsit, cf. Melam I 102. Amm. l. c. Ovid. ex P. I 3, 54. Vides universum illum locum Valerii sumptum esse ex chorographia, quam similem disputationem continuisse atque eam quam apud Polybium legimus veri simillimum est. Ipsum Polybium auctorem Valerii esse non credibile est, quamvis appareat Valerium Graecos scriptores legisse; id autem puto rem uno compluribusve auctoribus interpositis a Polybio repeti, cuius auctoritas permagna erat.

Methone (I 388). Methone oppidum Messeniae a nullo poeta commemoratur neque ullis fabulis nobile est. Coniungitur a Valerio cum Elide, quam Homero deberi (Od. 21, 347) epitheton *felix equis* nos docet, et cum Aulone, u. v. (p. 59). Non dubito, quin Methonen chorographia poetae subministraverit.

Moesi (VI 162). Sedes Moesorum enarrari non opus est.

Moesia provincia constituta est imperante Augusto a M. Crasso, Liv. per. 134. Flor. II 26 (= IV 12). Cur Valerius eos mutatores equorum appellet reliqui scriptores nobis non suppeditant, Manilius V 85 ss. a Wagnero adlatus rem non explicat. Sine dubio Valerius hanc artem desultariam ad arbitrium suum ad Moesos transtulit ut artem magicam ad Choatras, atque Harmand p. 42 mihi persuasit hanc rem e Livio translatam esse, qui XXIII 49, 5 de Numidis haec narrat: *nec omnes Numidae in dextro locati cornu, sed quibus desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transsultare mos erat.*

Myrace — Tibisis. Colaxem haud procul a Borysthene procreatum esse apparet ex Herodoto, cui totam narrationem debet Valerius (cf. p. 15); firmatur haec sententia Myracis fluvii mentione, qui ab urbe Tamyrace ad Carcinitem sinum sita separari posse non videtur. Myracen fluvium eum esse quem alii scriptores Marin appellant omnino credi nequit. Nihil certi de Myrace fluvio cognitum est; itaque uno Valerio nisis coniciendum est parvum fluvium esse qui haud procul ab oppido Tamyrace in sinum Carcinitem se proicit. Una cum hoc Myrace tractandus est Tibisis fluvius quem minimo spatio a Myrace seiunctum esse ex Valerio colligitur: Valerium libidini adeo indulsisse ut Tisiam aut Tibisiam in has regiones transposuerit plane incredibile est. Eadem de causa Tibisim Thraciae fluvium, quem in Istrum influentem describit Herodotus IV 49, repudiandum esse censeo; praeterea monendum est Valerium omnino nullas res geographicas Herodoto debere, neque ex illo Colaxis historiam describentem fugisset Tibisim maximo spatio a Borysthene separari; si ex Herodoto fluvium desumere voluit Borysthenes adhibendus erat. Mirum esset, si duorum arte coniunctorum fluviorum alter ex Herodoto sumptus esset alter ex chorographia. Itaque uno Valerio utendum est ad situm huius fluvii definiendum.

Myraces. Myraces Parthus ab hoc fluvio nomen accepit; eius pugnandi ratio VI 690 ss. descripta re vera Parthorum est.

Neuri (VI 122). Neuri ut nonnullae aliae gentes apud geographos ita descripti inveniuntur, ut dubitari nequeat quin Herodotus unus auctor sit, nisi quod praeter Herodotum hoc vel illud eis affictum est, cf. Aelian. V 27. Ubi fuerint recte Langenus

exposuit. Saepius commemorantur et apud pedestres scriptores et apud poetas; addo locis a Langeno allatis Propert. IV 3, 8. Avien. 346 Rav. IV 2. Dicuil. 7. Sol. 82. Mart. Cap. VI 663. Steph. Byz. Anon. peripl. 49. Quae Valerius de eis narravit lacuna absumpsit.

Ophiusa (VI 85). Recte Valerius Ophiusam oppidum una cum Tyra fluvio laudat, nam et reliqui scriptores narrant Ophiusam ad Tyram sitam esse. Omnes novimus ad ostium Tyrae fluvii coloniam Graecam Tyram fuisse. Tyram et Ophiusam eandem urbem fuisse alii scriptores tradant, duas alii. Ptol. III 10, 16 duas fuisse narrat. Scyl. 68 μετὰ δὲ Θρᾴκην εἰσὶ Σκύθαι ἔθνος καὶ πόλεις ἐν αὐτοῖς Ἑλληνίδες αἵδε· Τύρις ποταμός, Νικώνιον πόλις, Ὀφιοῦσα πόλις. Strabo p. 306 ἀναπλεύσαντι δὲ ἑκατὸν τετταράκοντα σταδίους ἐφ' ἑκάτερα πόλις, ἡ μὲν Νικωνία, ἡ δ'ἐν ἀριστερᾷ Ὀφιοῦσσα. Eandem esse dicunt etiam Steph. Byz.: Τύρας, πόλις καὶ ποταμὸς ἐν τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ . . . ἐκαλεῖτο δ' Ὀφιοῦσσα. Plin. IV 82: *clarus amnis Tyra, oppido nomen imponens ubi antea Ophiusa dicebatur.* Apud Melam II 1 nomen Ophiusae non legitur. Quae Valerii de Ophiusa sententia fuerit non apparet, tamen veri simile est eum cum Plinio consentire. Cf. Neumann I p. 357. Quod de gelidis venenis Ophiusae narrat ipse finxit ex nomine oppidi ab ὄφις ducto.

Pontus. De Ponti aquis abundantibus cf. s. v. Maeotis (p. 75). Item chorographiae debetur comparatio Ponti cum Scythico arcu, IV 728. Imprimis hac re utuntur, ut demonstrent Sallustii situm Ponti a Valerio excerptum esse, cf. Müllenh. III p. 75. Maurenbrecher, Sallusti historiae p. 135. Tam facile res non transigitur. Sallustium hac comparatione usum esse testis nobis est Servius ad Aen. III 533; tamen Sallustius neque primus neque solus Ponti figuram cum Scythico arcu comparavit. Gardthausen. (Die geographischen Quellen Ammians, Jahrb. für Phil. u. Pädag. Suppl. 6, p. 510) uberius exposuit Eratosthenem auctorem huius comparationis esse. Inde ab Eratosthene in omnes fere descriptiones Ponti recepta est: addo locis a Langeno allatis: schol. et. Eusth. ad Dion. Per. 158. Anon. geogr. cap. 53 (Geogr. Gr. min. II 509). Cum etiam Strabo p. 125 hac comparatione utatur, quem e Sallustio hausisse nemo contendit, addens iam complures id fecisse (εἰκάζουσι δέ τινες, quibus verbis Graecos significari ap-

paret), colligendum est iam ante Sallustium imaginem apud geographos usitatam fuisse; eodem iure ex Plinio et Mela colligitur in Valerii quoque chorographia Ponti figuram cum Scythico arcu comparatam fuisse. Tot scriptorum mentione apparet quantopere illa Ponti cum arcu similitudo geographis arriserit, neque mirum esse quod Sallustius, qui ipse quoque chorographiam aliquam excerpsit, ea et ipse usus sit. Num inde sequitur Valerium Sallustium expressisse? Cf. Gardth. p. 550. Tales comparationes apud geographos saepius leguntur; velut Plin. VI 38 de mari Caspio haec profert: *inrumpit autem artis faucibus et in longitudinem spatiosis, atque ubi coepit in latitudinem pandi unatis obliquatur cornibus, velut ad Maeotium lacum ab ore descendens, sicilis, ut auctor est M. Varro, similitudine.* Sallustium autem ut hominem geographiae non deditum nego talem comparationem fingere potuisse: id Eratostheneum erat.

Müllenh. l. c. dicit: und weiss jener [Valerius] IV 614 f. 599 (5, 107 8, 214) dass die in grader Richtung gen Osten bis zum Phasis streichende Südküste durch das Vorgebirge Karambis unterbrochen wird etc. Hanc rem ab auctore Valerii descriptam fuisse non nego, neque falsa est: tamen ex illis locis mihi quidem non apparet Valerium id significare voluisse quod Müllenhoffius eum significantem facit. Reliquam descriptionem Ponti ab auctore geographico petitam esse mihi quoque persuasit.

Propontis (II 646). Propontidem Valerius chorographiam suam secutus descripsit; v. s. Maeotis (p. 75).

Psamathe (I 364). Psamathe Taenarii promonturii oppidum a reliquis scriptoribus Ψαμαθοῦς vocatur: Ψαμάθη nomen complurium hominum et locorum erat, cf. Papii onomasticum. Non abhorret a Valerii consuetudine, ut huius nominis, quod apud Ovidium legit, similitudine permotus verum oppidi nomen mutaverit; cf. quae sub voce *Pella* exposui (p. 23). Valerium oppidum significare apparet; hanc rem recte exposuit Langenus ad I 364. Psamathuntem oppidum satis obscurum neque apud ullum poetam repertum Valerius chorographiae debet. Cf. Aulon (p. 59).

Sarmatae. De Sarmatarum sedibus Valerius haec profert: VI 162 una cum Moesis appellantur; VIII 207 mare prope Danuvii ostia Sarmaticum Pontum appellat, VIII 218 Peucen Sarmaticam nympham. VII 235 indicatur Sarmatas finitimos Colchorum esse. Quae omnia vera sunt.

Sarmatarum populus maximus erat, qui permultas gentes uno nomine complectebatur; unde efficitur ut scriptores non semel varia de iis tradere videantur quamquam non varia sunt. Cf. Plin. IV 81 *Scytharum nomen usquequaque transit in Sarmatas atque Germanos. Nec aliis prisca illa duravit appellatio quam qui extremi gentium harum ignoti prope ceteris mortalibus degunt.* VI 19 *Sarmatae, Medorum, ut ferunt, suboles, et ipsi in multa genera divisi.* VI 38 *Hinc Nomades et Sauromatae multis nominibus, illinc Abzoae non paucioribus.* Mela I 19, 115 *Ripas eius Sauromatae et ripis haerentia possident, una gens aliquot populi et aliquot nomina.* Sarmatarum igitur nomen multas gentes complexum est, neque mirum est intra fines Sarmatarum gentes reperiri quae ab aliis scriptoribus etiam Scythis adtribuantur. Herodoti aetate ultra Tanain incolebant, unde progressi paulatim occidentem petebant Scythis adscitis aut commixtis aut deletis: saepissime ab eo tempore Scythas cum Sarmatis confundi et alii docent et Diod. IV 45, 4 τῶν Σαρματῶν, οὓς ἔνιοι Σκύθας προσαγορεύουσι. Strab. 492 Σαρμάται, καὶ οὗτοι Σκύθαι. Mithradaticorum bellorum aetate ad Istrum nondum pervenerant; quamquam Appianus eos saepe commemorat (Mithr. 15. 19. 41. 57. 69. 117. 119. 120) tamen ex nullo loco concludi potest Sarmatas ad Istrum fuisse; contra demonstrari potest eos tum Istrum nondum attigisse. Florus I 39 (= III 4) narrat: *Appius* (cos. 79) *in Sarmatas usque pervenit, Lucullus ad terminum gentium Tanain lacumque Maeotin.* Verba *in Sarmatas usque pervenit* non significant Appium Danuvium transisse, quia paulo ante Romanorum bellum in Dacia gestum enarratur. Firmatur haec sententia Appiani cap. 57, qui inter Thracas et Sarmatas Scythas interponit; ex cap. 69 apparet Sarmatas ad Tanain fuisse. Reinach. p. 64: Die Sarmaten, welche noch zum grössten Teil Nomaden waren, bewohnten das Gebiet des Tanais (Don) und des Tyras (Dnjestr). A Danuvio illa aetate Bastarnae Sarmatas secernebant; quam rem recte intellexit et depinxit Reinach. Sarmatae igitur Mithradatis aetate Istrum nondum attingebant, neque Sallustius eos ad Istrum ponere potuit. Valerii auctorem posteriori tempori adscribendum esse etiam alia re firmare possum. Tacitus et Valerius insulam Peucen eodem

fere modo describunt. Tac. Germ. 46 *Peucini . . . . conubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum foedantur.* Val. VIII 217 Peucen Sarmaticam nympham vocat. Peucini autem non nisi longo tempore interposito in Sarmatarum habitum degenerare potuerunt; Strabo p. 305 Peucinos veros Bastarnas esse ait. Ut Peucini Sarmatae fierent evenire non potuit, nisi per longum tempus finitimi Sarmatarum fuissent; itaque censeo ante medium p. C. saeculum primum Peucinos Sarmatas vocari non potuisse.

Inter Mithradatis et Augusti aetatem Sarmatae ad Istrum pervenerunt; Augustus periculum intellegens iam bella cum Sarmatis gessit, Flor. II 29 (= IV 12). Dio 54, 20. 55, 30. Strabo eorum sedes ad Istrum sitas iam novit, p. 296. 305. Optimus testis Ovidius est qui eos ipse vidit et sescenties de feritate eorum queritur; Trist. I 2, 82. 3, 62. 8, 40. III 3, 6. 10, 5, 34. 12, 30. IV 8, 16. V 1, 13. 3, 8. 7, 56. 12, 58. Ibis 637. Ex P. I 2, 37. 47. 60. 79. 95. 140. 3, 60. 5, 50. II 7, 72. III 2, 40. 8, 8. IV 10, 38. Per totum fere primum p. C. saeculum ad Istrum inferiorem sese tenebant, Mela III 4, 33. Senec. quaest. nat. I prol. 7. VII, 7. Plin. IV 47. 79. Tac. Germ. 46. hist. I 2. III 24. Silius III 617. Lucan. III 201 (cf. schol.) Suet. Tib. 41. Domit. 6. Joseph. b. S. VII 89. Ibi commorati esse non videntur, migratio occidentem versus non intermittebatur. Jam primo saeculo introrsus in mediterraneas regiones migraverunt Istrum sinistra habentes, Plin. IV 80, ubi coniuncti cum Quadis et Marcomannis (Arrian. anab. I 3, 2) imperatoribus multum negoti facessiverunt: imperator Marcus e bello Marcomannorum cognomen Sarmatici primus traxit, CIGr 1319. 2878. 4704. 5891. add. 3837. 3878.

Eodem modo atque Alani et Jazyges non omnes Sarmatae occidentem versus demigraverunt, pars eorum ultra Tanain remansit; itaque suo iure Valerius Sarmatas finitimos Colchorum esse indicat. Etiam alii scriptores Sarmatas ad clivum borealem Caucasi ponunt. Strabo p. 497 ἀφορίζει (Caucasus) δὲ πρὸς νότον μὲν τήν τε Ἀλβανίαν καὶ τὴν Ἰβηρίαν, πρὸς ἄρκτον δὲ τὰ τῶν Σαρματῶν πεδία. paulo infra narrat in Dioscuriade Colchidis oppido multas gentes commeare Σαρμάται δ'εἰσὶν οἱ πλείους, πάντες δὲ Καυκάσιοι. Tabula Peutingeriana X 3. 5 ad ipsum Phasidem Sarmatas ponit; cf. schol. Juvenal. II 1. Seneca Thyest. 375

aut qui Caspia fortibus

recludunt iuga Sarmatis

Plin. VI 40 *portae . . . . quae per Hiberiam in Sarmatas tendunt.* Portas Sarmaticas in Caucaso describit Ptol. V 9, 11. 15. Has portas non sine causa ita appellatas esse docemur a Tacito, ann. VI 33 *Sed Hiberi locorum potentes Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt.* Anon. geogr. comp. c. 20: ὑπόκειται δὲ τῇ Σαρματίᾳ πρὸς μὲν τῷ Πόντῳ ἡ Κολχική, πρὸς δὲ τῇ Κασπίᾳ ἡ Ἀλβανία. Cf. Apoll. Rh. III 353. 392. Lucan. III 270:

Heniochi saevisque affinis Sarmata Moschis.

Plin. VI 16 *Epageritae, Sarmatarum populus in Caucási iugis, post quem Sauromatae* [1]). Quamquam de aetate auctoris nihilex descriptione huius Sarmatarum sedis apparet tamen videmus Valerium concinere cum geographis suae aetatis.

Tum Valerius narrat de Sarmatis, II 176 ss.:

Sarmaticas utinam fortuna dedisset
insedisse domos tristesque habitasse pruinas
plaustraque.

V 424

Hi iam Sarmaticis permutant carbasa bracis.

---

1) Plinius (eumque secuti origo gen. hum. p. 140 Frick, excerpt. lat. Barb. p. 196, liber generat. p. 10. 12) satis ridiculum errorem commisit, ut Sarmatas et Sauromatas duas varias gentes esse crederet. Putares id fieri non posse postquam ipse IV 80 dixit: *alias Getae, Daci Romanis dicti, alias Sarmatae, Graecis Sauromatae.* Ne id quidem ita se habet; iam pridem ante Romanorum aetatem Theophrastus fr. 172 scripsit τὸ τάρανθος, ὃ ἐν Σκύθαις φασὶν ἢ Σαρμάταις γενέσθαι, et tituli oppidorum Graecorum ad Pontum sitorum, ut Gorgippiae apud IPE. 402[60]. 403[8] hac forma utuntur. Poetice Σαμάται vocantur a Dion. Per. 304 (cf. Eusth. ad 284), Συρμάται ab Eudoxo (ap. St. B.), Scyl. 68. Plin. VI 48. Formis *Sarmatae* et *Sauromatae* promiscue utuntur auctores, totidemque Latini formam *Sauromatae* quot Graeci formam Σαρμάται adhibent. Similem errorem ac Plinius Ptolemaeus commisit. Rhoxolanorum gens ab omnibus scriptoribus una forma *Rhoxolani* vocatur; Ptolemaeus finitimos Rhoxolanorum Ῥευκαναλοὺς esse ait credens eos aliam gentem esse. Vera forma nominis, quam nullus scriptorum nobis tradit, est Ῥευξιναλοί, IPE Chersonnesus No. 185[28]. Panticap. 86[2]. Quae indigena forma aliquo modo ad Ptolemaeum perlata causa fuit, ut statueret iuxta Rhoxolanos gentem Rheucanalorum incolere.

VI 232 eques Sarmatarum hunc in modum describitur:

Sarmaticae coiere manus, fremitusque virorum
semiferi; riget his molli lorica catena
id quoque tegmen equis; at equi porrecta per armos
et caput ingentem campis hostilibus umbram
fert abies obnixa genu vaditque virum vi
vadit equum docilis relegi docilisque †relinqui
atque iterum medios non tardior ire per hostes

VI 162

ingentis frenator Sarmata conti.

Haec omnia neque inventa neque translata sunt. Sarmaticae pruinae saepe a poetis non sine horrore quodam commemorantur, neque necesse est Valerium eos auctori suo debere. Ovid. ex P. II 7, 72

frigore perpetuo Sarmatis ora riget.

Seneca Herc. Oet. 158

non quae tela gerit Sarmata frigidus.

Thyest. 127

nives
quas cum Sarmaticus tempore frigido
in summis Boreas composuit iugis.

Stat. silv. V 1, 125

tecum gelidas comes ire per arctos
Sarmaticasque hiemes.

Florus II 29 (= IV 12) *nihil praeter nives pruinasque et silvas habent.*

Reliqua sine dubio ex auctore sumpta sunt. Scythae plaustra habitantes antiquitus noti erant saepiusque commemorantur, velut Pindar. fr. 105 Chr., Aesch. Prom. 707. Hippocr. περὶ ἀέρων p. 556 Kühn. Scythis a Sarmatis adscitis etiam Sarmatae ἁμάξοικοι appellabantur; ubi notandum est id non ante primum p. C. saeculum fieri.

Ov. Trist. III 10, 34

ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.

III 12, 30

stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.

Mela III 1, 2 *Agathyrsi et Sauromatae ambiunt* (Maeotidem); *quia pro sedibus plaustra habent dicti Amaxobii.* Plin. IV 80 *Sarmatae, Graecis Sauromatae, eorumque Hamaxobii aut Aorsi.* Tac. Germ. 46 *quae omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus.* Tab. Peut. VI 2 *Amaxobii Sarmatae.* Valerius igitur hic quoque eadem tradit ac reliqui scriptores sui saeculi. Sarmatas, ut gentem sub arcto positam, bracis vestitos esse consentaneum est, multisque imaginibus nobis servatis Scythae bracis vestiti reperiuntur. Jam Hippocrates περὶ ἀέρων cap. 22 extr. Scytharum bracas descripsit, atque inde nonnulli, ut Lucanus I 430:

et qui te laxis imitatur, Sarmata, bracis.

Haud scio an Lucani versum respexerit Valerius. *Semiferos* Valerius Sarmatas VI 233 appellat id iudicium secutus quod Romani inde a bellis ab Augusto cum Sarmatis gestis faciebant. Florus II 29 (= IV 12) *tanta barbaries est, ut nec intelligant pacem.* Ovid. Trist. III 10, 5

Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique Getaeque.

Mela III 4, 33 *gens* (Sarmatarum) *habitu armisque Parthicae proxima, velut ut caeli asperioris ita ingenii.* Cf. Senec. Herc. fur. 538. Strab. p. 302. De armatura et pugnandi ratione Sarmatarum Valerii descriptio accuratior est quam quae ante bella cum eis gesta composita esse possit; in Mithradaticis vestigium rerum a Valerio narratarum non legitur. Contum Sarmatarum hastam fuisse testes sunt praeter Valerium Tac. ann. VI 41 [Silius XV 685] Statius Ach. I 133. Arrianus τακτική 4, 7. 44, 1. Claudianus in cos. Stil. I 111. Longitudinem huius conti describens VI 235 Valerius Homericum epitheton δολιχόσκιος paulo copiosius vertit. Utuntur Sarmatae conto eodem fere modo quo equites medii aevi; Arrianus l. l. c. c. eandem aut similem rationem describere videtur. Silius l. c. Valerii descriptionem imitatus est. Etiam loricae descriptio auctoris diligentiam et praestantiam illustrat,

riget his molli lorica catena

sine dubio loricam squamis compositam significat. Confirmatur Valerii descriptio a Pausania, qui I 21, 6 ss. uberius de Sarmatarum lorica disseruit: (οἱ Σαυρομάται) τοὺς δὲ θώρακας ποιοῦνται

τὸν τρόπον τοῦτον· ἵππους πολλὰς ἕκαστος τρέφει, ὡς δὴ οὔτε ἐς ἰδιωτῶν κλήρους τῆς γῆς μεμερισμένης οὔτε τι φερούσης πλὴν ὕλης ἀγρίας, ἅτε ὄντων νομάδων. ταύταις οὐκ ἐς πόλεμον χρῶνται μόνον, ἀλλὰ καὶ θεοῖς θύουσιν ἐπιχωρίοις καὶ ἄλλως σιτοῦνται. συλλεξάμενοι δὲ τὰς ὁπλὰς ἐκκαθήραντές τε καὶ διελόντες ποιοῦσιν ἀπ' αὐτῶν ἐμφερῆ δρακόντων φολίσιν· ὅστις δὲ οὐκ εἶδέ πω δράκοντα, πίτυός γε εἶδε καρπὸν χλωρὸν ἔτι· ταῖς οὖν ἐπὶ τῷ καρπῷ τῆς πίτυος φαινομέναις ἐντομαῖς εἰκάζων τὸ ἔργον τὸ ἐκ τῆς ὁπλῆς οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι. ταῦτα διατρήσαντες καὶ νεύροις ἵππων ἢ βοῶν συρράψαντες χρῶνται θώραξιν οὔτε εὐπρεπείᾳ τῶν Ἑλληνικῶν ἀποδέουσιν οὔτε ἀσθενεστέροις· καὶ γὰρ συστάδην τυπτόμενοι καὶ βληθέντες ἀνέχονται. Simillimam descriptionem apud Valerii auctorem fuisse necesse est. Item Tacitus nobis testis est Valerium vera tradere; hist. I 79 de Sarmatica gente Rhoxolanorum narrat: *lapsantibus equis et catafractarum pondere: id principibus et nobilissimo cuique tegimen, ferreis lamminis aut praeduro corio consertum, ut adversus ictus impenetrabile.* Igitur et Tacitus et Valerius tradit equos virosque cataphractis defensos fuisse, neque multum differunt descriptiones: quaerere licet num idem bellum anno 69 gestum utrique scriptori hanc descriptionem subministraverit.

Satarchae (VI 144). Valerius Satarchas una cum Exomatis et Torynis enumerat, qui Sindicam paene insulam incolunt: Satarchae igitur haud procul inde ponendi sunt. Firmatur haec Valerii narratio reliquis scriptoribus. Satarchas mare attigisse titulus quidam nos certiores facit narrans eos piratas fuisse, I. P. E. Neapolis No. 244

Ἀχιλλεῖ νήσου [μεδέοντι
Ποσίδεος Ποσι[δέου τοὺς
Σαταρχαίους [νικήσας
πειρατ[ε]ύσαντ[ας ἀνέθηκεν.

Plinius bis Satarchas describit duas varias chorographias secutus; VI 22 Satarch*aeos* ad Tanain ponit, cui loco fides non habenda est quod Plinius res confundit auctoremque aut auctores adeo negligenter exscribit ut Satarch*aei* intra eandem enumerationem bis reperiantur; altero loco consentiens cum reliquis scriptoribus Satarch*as* ad eum isthmum ponit qui Chersonnesum Tauricam cum continente coniungit, IV 85 *Jugum ipsum Scythotauri tenent. cluduntur ab occidente Cherroneso Nea, ab ortu Scythis Satarchis.* Mela II 1, 2 *Obliqua tunc ad Bosphorum plaga excurrens Ponto ac Maeotide includitur. in paludum vergentia Satarchae tenent, in Bosphorum Cimmeria oppida* etc. § 4 *subit tum ripam mare, et donec quinque milium passuum spatio absit a Maeotide, refugientia usque subsequens litora, quam Satarchae et Taurici tenent, paene insulam reddit.* Ptol. III 6, 5 πόλεις δ'εἰσὶ μεσόγαιοι ἐν τῇ Ταυρικῇ Χερσονήσῳ αἵδε .... Σατάρχη ξά δ'' μζ' γ'' (61⁰ 15' long. 47⁰ 20' lat.) Steph. Byz. Τάφραι, καὶ Τάφρη ἑνικῶς, χῶρα ταφρευθεῖσα περὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην, ὑπὸ δούλων ταῖς δεσποίναις συμμιγέντων . . . . . . ταύτην τὴν χώραν κατοικῆσαι Σατορχαίους. οἱ οἰκοῦντες Σατορχαῖοι. Infelicissime igitur Langenus omnium locorum unum eligit qui rem prave descriptam continet. Valerius narrans Satarchas mulctris ditari facultatem nobis facit coniciendi quando chorographia eius conscripta sit. Usque ad Mithradatis aetatem Tauri fera et latrociniis dedita gens erant, cf. titulum supra allatum. Mithradates Tauros divictos coegit vitam placidam gerere, cf. Reinach. p. 59: Ihre Macht war ein für allemal gebrochen; von nun ab hören wir nichts mehr von ihren Räubereien zur See und zu Lande. Post illam aetatem illae regiones Graecis subsidium rei frumentariae esse iterum coeperunt, quod iam Atheniensibus fuerant. In Mithradaticis igitur latrocinia et asperitas, non agricultura aut res pecuaria Taurorum narrabantur. Bona fortuna titulum nobis servavit quo docemur quando primum frumentum Chersonuesi Tauricae Romam apportatum sit, i. e. Romanis innotuerit. CIL XIV 3608 de Ti. Plautio Silvano Moesiae propraetore legimus: . . . *Scytharum quoque rege a Cherronensi, quae est ultra Borustenen, opsidione summoto. primus ex ea provincia magno tritici modo annonam p(opuli) R(omani) adlevavit.* Plautius anno 56 Moesiam administrasse videtur, cf. Reinach. p. 49. Satarcharum commercium haud spernendum videtur fuisse, Mela II 1, 10 eis hanc laudem dat: *Satarchae auri argentique maximarum pestium ignari vice rerum commercia exercent.* Circa medium igitur primum p. C. saeculum Satarchae Romanorum animos in se convertebant; ante Melam ne nomen quidem Satarcharum legimus. Inde apparet Valerii chorographiam multo post Sallustium conscriptam esse.

Sestos — Abydos (I 285). Inter Sestum et Abydum oppida

Hellespontum angustissimum esse saepius geographi adnotant, ut Strabo p. 108. 551. 591. Cf. Ukert III[2] p. 137; Valerius igitur hic chorographia usus esse videtur. Necesse autem non est hic de chorographia cogitari, cum res nimis nota sit.

Sidones (VI 95). De Sidonibus v. s. Bastarnae. Pessima coniectura Owen eos in Ovid. trist. II 191 interpolat, ubi veram scripturam *Jazyges* esse puto. Nomina illo versu tradita praeter Getarum nomen omnia corrupta sunt. Schol. ad. Luc. III 280 confusum et inutile est, neque magis ad Sidones pertinent Sitoni (Plin. IV 41) aut Σινδοναῖοι (Steph. Byz.).

Strymon (VI 193). Strymon Colchus a Strymone Thraciae fluvio nomen accepit; Valerius cum Bisaltas ad Strymonem incolentes inducat consentaneum est fluvium ipsum in chorographia descriptum fuisse. Ab eodem fluvio Vergilius nomen Strymonii Troiani finxit.

Styrus (III 497). Stȳrus Albanus appellatus est a Stȳra, oppido Euboeae. Primam syllabam produxit Valerius; cf. quae p. 20 ad *Aquites* adnotavi.

Tanais. Tanain fluvium chorographiae debet Valerius; cf. s. v. Maeotis.

Taulas (VI 221). Taulas Scythes a Taulantiis gente Illyriae nomen accepit. Taulantii a geographis et rerum scriptoribus saepe commemorantur, ut a Mela II 3, $_{11}$. Liv. 45, 26, $_{13}$. Plin. III 144. Strabone p. 326. Poetae eis non utuntur. Appianus Ill. 2 huius gentis ἐπώνυμον Taulantem appellat, quem Valerio ignotum fuisse pro certo habeo. Taulantiorum mentio nos docet Valerii chorographiam usque ad Hadriaticum mare pertinuisse.

Thraces. De Thracibus qui corpora notis compungere vel pingere solebant recte agit Langenus ad II 150. Ciceronis testimonio evincitur Valerium rem non e Vergilio transtulisse: contra Vergilius mihi videtur rem a Thracis aut Brittannis transtulisse in Agathyrsos et Gelonos, de quibus nihil sciebant. Hic mos Thracum iam ab Herodoto V 6 narratur.

Tibisis v. s. Myrace.

Tyra (VI 84). Recte Valerius Tyram Scythiae fluvium una cum oppido Ophiusa commemorat. Saepissime Tyras fluvius apud scriptores invenitur; tamen memorabile est quam arte Valerius

cum auctoribus sui saeculi cohaereat: reliqui scriptores forma *Tyras* utuntur, Plin. IV 82, Mela II 1, $_{7}$, Valerius VI 84 forma *Tyra*. Hanc formam veram esse docemur titulo IPE Olbia 22[4] = CIGr 2059, ubi oppidum ad Tyram situm, cui idem nomen ac fluvio est, Τύρα appellatur. Neque quae de celeritate Tyrae narrat finxit Valerius [1]). Cf. Ovid. ex P. 10, $_{50}$

nullo tardior amne Tyras.

Omnes fluvii Scythiae priusquam in mare se proiciant cataractis interrumpuntur. Eandem rem ac Valerius de Tyra Mela I 115 de Tanai narrat [2]). Haec Mithradatis aetate non tam accurate observata erant, neque ante Tiberii aut insequentium Caesarum aetatem in ullis libris reperiri potuerunt; etiamtum Strabo p. 493 dicit: τοῦ δὲ Τανάιδος τὰς μὲν ἐκβολὰς ἴσμεν, τοῦ δ' ὑπὲρ τῶν ἐκβόλων ὀλίγον τὸ γνώριμόν ἐστι διὰ τὰ ψύχη καὶ τὰς ἀπορίας τῆς χώρας. Non credes Sallustio cognitum fuisse quod Strabonem latebat.

III. Africa.

Vidimus in ea chorographia qua Valerius usus est totius Asiae et Europae descriptionem infuisse, neque, etsi vestigia non essent, dubitaremus, quin tertia quoque pars orbis terrarum, Libya, ibi descripta fuerit [3]). Quamquam Valerii catalogus ita com-

1) Cf. Kolster, Neue Jahrb. f. Phil. Suppl. 12, p. 573.

2) Neumann. p. 14 s. und tritt überall zu Tage, wo es von den grossen Flüssen durchbrochen wird, die mit reissender Schnelligkeit über seine Stufen fortschiessen; so am Dnjestr (Tyras) bei Cabus etc. p. 129 Nun stellte zwar die Beschaffenheit der westlichen Ströme, des Pruth, Dnjestr, Dnjepr, ihr reissender Lauf, die Schwellen und Klippen, über welche sie sich bei dem Durchbrechen des südrussischen Granitrückens hinwegstürzen müssen, dem Vordringen der Griechen in grade nördlicher Richtung Hindernisse entgegen etc.

3) Nam dubitare nequit, quin totam Europam complexa sit, cum demonstrare possimus Sarmatiae Europaeae, Moesiae, Thraciae, Graeciae, Illyriae descriptionem infuisse. Cur reliquorum regionum et rerum mentionem desideremus in aperto est.

paratus est, ut non sperandum sit nos Libyae descriptionis vestigia inventuros esse, tamen vestigia manserunt. Poeta V 22 Arsinoen oppidum commemorat; quod oppidum, nostrum Suez, neque amplum neque nobile neque poetis notum Valerium ex chorographia sumpsisse veri simillimum est. Saepius mihi apparuit hunc poetam studere, ut tritis viis relictis novas res in poesin inducat. Reliqui poetae ut Aegyptum significent Memphim, Thebas, Meroen, urbes antiquitus nobilissimas, appellant: Valerius ut erat homo ingeniosus neque anxie imitandi cupidus aliquid novi proferre vult. Eodem studio permotus pro Hyrcaniis silvis Amanum tigridum patriam esse fingit, eodem studio permotus Argonautarum fabulae novis subsidiis usus novum bellum addit.

Duo oppida Africae, Thapsus et Thysdrus, Cyziceno Thapso (III 191) et Colcho Thydro (VI 639) nomina dederunt; quorum Thapsus victoria Caesaris nobilis, Thysdrus praeter geographos omnibus fere hominibus ignota erat, ita ut Valerium eam chorographiae debere veri simillimum sit.

His rebus singillatim pertractatis restat ut paucis verbis circumscribam quid de Valerii auctore enucleaverim.

Valerius usus est chorographia quadam, quae totius orbis terrarum descriptionem continuit. Omnes res indicant Valerium in geographia unum auctorem secutum esse, non est cur statuamus eum complures auctores varii temporis et argumenti exscripsisse. Id certissime apparet Melam et Plinium a Valerio non adhibitos esse. Satis diligenter chorographia usus est, neque nominum ordo tam turbatus est quam quidam nobis persuadere conantur, neque res de gentibus narratae fide indignae quatenus e chorographia ductae sunt; facile discernuntur quae aliis auctoribus debentur. Inter hos auctores longe primum locum tenet Herodotus: ipsum Valerius non legit, permulta autem ex Herodoto in chorographias translata sunt. Omnes res geographicae exceptis eis quae cum Argonautarum periplo cohaerent chorographiae debentur, neque quicquam aliunde desumptum est. Auctorem chorographiae illius Sallustii situm Ponti et Agrippae chorographiam novisse consentaneum est; inde explicantur similitudines quae inter Sallustium Agrippam Plinium Melam et Valerium eiusque auctorem intercedunt. Quae tamen similitudo non ita magna est. Valerii auctor Mela posterior est neque inter Plinii auctores fuit: nullum eorum invenies cui hanc chorographiam adscribas. Omnino sui iuris est Valerii auctor et bonis et recentissimis scriptoribus usus: is solus multa nobis servavit quae alibi desideramus. Locupletissimam fuisse Valerii chorographiam multis locis perspicitur, neque Plinius neque Mela eam aequant. Haec chorographia, cui auctoris nomen reddere non potui, conscripta est post annum 49 p. Chr. n. Qua de re potissimum ea conferenda sunt, quae disputavi s. v. v. Alani. Albana parta. Caspia claustra. Byces. Coelaletae. Danuvius. Gerus. Jazyges. Latris. Sarmatae. Satarchae. Müllenhoffius quoque, qui Sallustium auctorem esse vult, non potest non concedere (III p. 62) recentiorem quendam auctorem nonnulla Valerio suppeditasse; igitur, ne opinio sua labatur, coactus est statuere Valerium complures scriptores compilasse.

Chorographia illa Graecane an Latina lingua scripta fuerit frustra quaesivi cum utriusque rei testimonium habeam. Exomatarum nominis forma Latina est (cf. p. 42), Graeca forma est Ἰαξαμάται. Altera ex parte Valerius vocem *Ambenus*, nisi Graecum Ἄμβενος ei ob oculos fuisset, nullo modo dactyli in speciem adhibuisset; qui vocem Ambenus Latine scriptam vidit vix potuit quin semper alteram syllabam produceret.

Valerii chorographia mirum in modum eandem fortunam atque ipse passa sub finem antiquitatis quasi emersit; apud geographos Latinos qui dicuntur minores et praecipue apud Ravennatem multa leguntur quae ab illa chorographia petita esse videntur; in primis oppida, quibus Ravennas abundat, spectanda sunt. Cupio atque spero fore ut alii quaestioni contingat hanc amplissimam chorographiam ex illis scriptoribus eruere et accuratius definire.

Tota dissertatione perfecta mihi in manus incidit disputatio quam scripsit R. Harmand, Valérius Flaccus et les barbares (Revue de philologie Janvier 1899). Justis laudibus poeticum ingenium Valerii extollit, arridetque mihi studium eius erga poetam;

in rebus geographicis autem nimis correpta argumentatio nemini persuadebit Valerium praecipue a Mela pendere. Vehementissime errat Harmand credens Valerium Strabonis libros legisse, Plutarchum Valerii. De Licinio Muciano ut auctore Valerii ego quoque cogitaveram; quam opinionem abieci perlecta Brunnii dissertatione de C. Licinio Muciano scripta, Lipsiae 1870. In singulis autem rebus admodum graves sententias protulit Harmand; velut p. 38 optime exponit terras eoas primis Caesaribus regnantibus innotuisse, unde sequitur Valerii auctorem hac aetate non antiquiorem esse.

Vita.

Natus sum Arnoldus Ferdinandus Guilelmus Fridericus Heeren a. d. IV Kal. Jul. anni h. s. LXXVI in vico prope Gottingam sito qui est Nörten patre Roberto matre Charlotte e gente Scharnhorst, qua superstite gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum rudimentis Stendaliae imbutus gymnasii Torgoviensis discipulis adscriptus sum. Inde cum res publica patrem avocasset eum secutus Vilinaburgii Nassoviae gymnasium frequentavi quod vetere gloria nobile tum florebat auspiciis Sigismundi Pauli viri doctissimi atque humanissimi. Ibi vere anni XCV isdem illis diebus quibus maturitatis testimonium assecutus sum pater acerbissimo fato ereptus est; itaque familia mecum Gottingam commigravit. Gottingae non primus gentilium meorum studiis philologicis historicis geographicis me dare coepi atque adhuc sum civis almae matris Georgiae Augustae. Docuerunt aut docent me viri doctissimi Baumann Busolt Dilthey Dziatzko Kaibel Kehr Knoke de Koenen Krauske Lehmann Leo W. Meyer Rehnisch W. Schulze Tschackert Volquardsen Wagner de Wilamowitz-Moellendorff Willrich. Regii philologorum proseminari sodalis fui tria semestria, seminari sodalis ordinarius quattuor semestria; per idem tempus proseminari et seminari historicorum sodalis fui. Ad exercitationes res veterum spectantes Volquardsen et Busolt, ad paleographicas Meyer, ad geographicas Wagner benigne me admiserunt. Magistris meis quantum debeam numquam obliviscar. Denique gratias ago sodalitati philologorum Gottingensium quam vocant Klassisch-Philologischer Verein cuiusque sodalis per quinquennium fui.
